

1
6
517







D. D. R. C. F.

NOVA, ET ARCANA DOCTRINA FEBRIVM.

QVAM EX

SECTIONE Viuorum & Mortuorum Animalium, ANALYSI quæ fit Ignis & Aquæ beneficio, Omnium propemodum Seculorum OBSERVATIONE Historica-Medica CORPORVM, MORBORVM, ET REMEDIORVM, *Demonstrationibus certis & perspicuis, in Mortalium beneficium concinnauit*

LAZARVS MEYSSONNIERIVS Matisconensis, Doctor Philosophus Medicus Facult. Monspelienſ. PRACTICVS LVGDVNENSIS.

OPVS

Lectionis varietate, & Experimentorum multitudine iocundissimum, & vtilissimum, Omnibus Philosophiæ Naturalis, & Medicinæ studiosis, Quod Vtriusque PENTAGONI, *Commentarium &* CLAVEM *iure dixeris.*



LVGDVNI,
Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLI.

EMINENTISSIMO

CARDINALI DVCI DE RICHELIEV

FRANCIÆ PARI,

GALLICO THALASSIARCHÆ,

BONORVM ET DOCTORVM

OP. ET S. P.

DIVTVRNAM INCOLVMITATEM, CVM FELICISSIMA VITA.

OPTAVI *ſæpius*, *EMINENTISSIME PRINCEPS*, *vt inter eos plauſus, qui ab vniuerſo Eruditorum conſeſſu Tuæ Virtuti dantur; Quid imbecillioribus palmis conarer ab honorifici cœtus illius orcheſtra remotiſsimus, audiretur. Ita Genius ille mihi ſuadebat meus, vltrò in* Σωτήρια, *quæ pro*

TVA EMINENTIA celebrat conueniens vndique Doctorum, & Bonorum turba, prorumpenti. Tunc equidem venit in mentem Ioseph ille Israëlitarum Patriarcha, ac Sapientissimus subinde Ægyptiorum Prorex, & TV lapsu quidem sæculorum, sed Prudentiâ minimè posterior. Illum Sol, Luna, cum Stellis vndecim adorabant in somniis: At sub Throno in quo Purpuratus Emines, & Insomnis Saluti Reip. prospicis, omnium Scientiarum Doctores procumbunt. Theologi quorum doctrina Soli splendore simillima, dum sacras suas meditationes E. T. offerunt nonne Te Theologorum Summum agnoscunt? Testatur hoc Illustris illa Sorbonica Schola tot, & tantis Tuæ Magnificentiæ monumentis, vt illa possent, etiamsi abessent cætera erga Bonos & Doctos beneficia, Perillustri RICHELIANO HEROI immortalem nominis famã gloriosè demereri. Legum Humanarum scientia, quæ à Diuinis fulgorem eo modo quo lumen à Sole Luna, concipit, exponit etiam eam Amplissimorum Virorum cohortem, vt si priscorum temporum fides inualesceret Iurisconsultorum, & Politicorum DEVS haberi posses. Si ex reliquis Astris Vndecim, Septem Artibus iis quæ Liberaliores appellantur, Tres tribus illis quæ supersunt Philosophiæ partibus dedero; illarum omnium caput ΙΑΤΡΙΚΗΝ fecero, Quid Prophetico Somnio deerit? vt gloriam illam Tuam Salomonis gloriæ, quam sola LILIORVM superat, æqualem pronuntiare audeam.

audeam. Ad has cogitationes mouit me iampridem PENTAGONVM Sydus illud, quod mihi κατ' ὄναρ visum receptioribus Veterum placitis MEDICINAM designare confirmaui. Hæc splendore corusca, dum in celeberrimorum Medicorum oblatis operibus ob oculos E. T. refulget, & lumine suo me recens Ideam illius exprimentem incautum, & notam temeritatis metuentē ferè prodidit. Constiti diutiùs venerabundus, & ἀπαρχὴν in aliud tempus, produxi, vt δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας producerem. Emisso enim hocce salutifero in publicum Thesauro CLAVEM illius in ista FEBRIVM NOVA, ET ARCANA DOCTRINA sacris E. T. manibus obtuli, Clauem certè solis orthodoxæ Fidei, solis Sensuum Hypothesibus effictam. In illa potiùs vtilitatis miraculum spectare licet, quàm politioris artis elegantiam. Siquidem ad sanam & longam Vitam, quam E. T. debemus exoptare singuli, viam aperit planam & rectam, per ea scilicet quæ in controuersiam adducere nullus potiori ratione valeat, quàm Euclidis, aut Archimedis Demonstrationes Geometricas. Præter illas, si quidem quæ ex Diuinis accipit Auxiliis, quæ consensus Christianorum Catholicus vltra certitudinem earum euehit, habet corporum Animalium in vita, & post mortem Spectaculum Anatomicum; Mixtorum in certa & sensui manifesta Principia, per Ignis actionem, & Aquæ lauatrinam, Analysim. Obseruationem denique, non solùm Pro-

priam; sed etiam vetustiorum, & recentiorum Scriptorum qui sensibus aliquid circa naturam Corporum, species Morborum, vires Remediorum cognitum Historicè tradiderunt: Ex quibus solis, si quid certum est ad Sana corpora conseruanda, & Vitam producendam, debet elici, potiùs quàm ex Coniecturis sensuali experientiæ repugnantibus, imaginatione solâ conflatis, quibus Medici plerique hodie ex libro nautæ, Galenicâ parœmiâ, in curandis hominibus abutuntur, magno sanitatis dispendio, maiori vitæ incommodo, maximo Reip. damno: Hæc enim ad vnumquemque pertinent, Et immeritò lucubrationes inutiles quis ei dixerit, quæ cùm in cæteros viuentes sospitales curas conferant, E. T. præsertim incolumitatem spectant. Is es siquidem hodie qui viuus & sanus Diuinis cogitationibus REGIS & Regni fœlicitati consulis, & Sapientiâ Tuâ non ex Annonæ penuriâ, quâ solâ per aliquot annos oppugnatâ, tot honoribus ab Ægyptiorum Rege Ioseph augeri meruit, sed etiam Hostili manu profligatâ Pacem, Ciuili rumore sedato toti Galliæ conciliasti. Ipsâ quinetiam Peste piis Orationibus, placato Numine, ablegatâ extra quaslibet Prouincias in quibus RICHELIANA Pietas, Sanctitatis suæ mirabilia magno populorũ stupore producit. Honorum fastigia, aut Diuitiarum fulgidiores illecebræ ingenij mei tenuitatem ad se nusquã rapient, Si acceptis à fortuna mediocri iis quæ ad victum, vestitum, domicilium, κ̀ πάσην εἰς βίον ἀρκεὖσαν οὐσίαν

pertinent,

pertinent, quæ sufficiebant Præceptori Hippocrati vt Persarum opes contemneret, his intendere poßim, ac Mæcenatis alicuius beneficio, Bibliothecæ Medicæ instructißimæ vsum obtinere, ex qua sæculis omnibus obseruata comparem; Nosocomij in quo illa conferam ac confirmem, Ergasterij tandem in quo flammis & vndis compositionem mixtorum Vegetabilium in examen reuocem, (quod à me cœptum est aliquando,) Animalium cum suis partibus, ac denique Mineralium, vt Uniuersalis illa Medicina è Theologicis Astronomicis, Astrologicis, Physicis, & Anatomicis in Pentagono à me, DEO fauente, delineata Commentariis suis in Absolutißimum Corpus Medicum emergat, cuius Altera pars Singulorum morborum Praxim, ex Ananmestica Methodo Particulari Pentagono præscripta certis experimentis in affectu quouis locuples, fidelißimè proponat, Specimen saltem illorum breui daturus sum si iubeat E.T. in ARCANIS NOVIS VETERIS SAPIENTIÆ, vt cæteros Medicinæ DD. ad eum scopum excitem, quo sibi aliisque non segnes artifices comparent id sine quo nec honorificis Dignitatibus, nec opum Thesauris, nec vllis huius sæculi Commodis frui licet; Quo absente illa Omnia vana, inutilia, infructuosa. אל שדי purißimis Votis meis ista pro Tua præsertim incolumitate concedere dignetur, EMINENTISSIME

CAR

CARDINALIS, vt cum Studiis meis, Vita TVA felicissima possit vltra sæculum diutissimè promoueri. Hoc Vouet

EMINENTIÆ TVÆ

Deuotissimus, & Obsequentissimus.

MEYSSONNIER, D.M.

LECTORI BENEVOLO.

S.

HAS nostras posteriores Philosophicas & Medicas cogitationes proponimus, vt ij quos priores delectauerint habeant quibus sibi satisfacere possint, vbi nodus aliquis implicatior occurret in strictioribus illis sententiis, quas anno 1639. primùm publicas fecimus in *Pentagono Philosophia-Medico*. Huius Doctrina (quæ est, totius Philosophiæ naturalis, & Medicinæ secretioris & securioris nouis rationibus à Nobis ad sensualis experientiæ normam, extra ridicula pleraque, & incerta vulgi Medicorum phantasmata per Logicas demonstrationes reuocatæ epitome,) tanquã nouo lumine, locis obscurioribus expositis illustratur, vt certè, in ea proficere volentibus subinde necessarium fuerit vtriusque voluminis lectionem harmonicâ meditatione coniungere, siue *corporum, morborum, & remediorum* scientiam in genere, siue *febriũ* in specie sectentur. Acceptissima illa quamplurimis è variis Europæ partibus, Philosophiæ, & Medicinæ Doctoribus ac Professoribus longè celeberrimis, qui per Epistolas id nobis vltrò significarunt, postremum istud *Opus* in lucem traxit, quod inter sexcenta quæ arti & ætati possis adscribere diuerticula natum, vnicam illam doctorum hominum, veritatem in Physicis & Medicis sitientium exposcit Authori suo gratiam. Is enim dum sibi vitam sanam longamque, summum post cœle-

ſtem felicitatem bonum, per iſtas meditationes quæritat: ſi reliquis Mortalibus proſit, iis præſertim quos humanæ ſocietatis regimen ſæculo digniſſimos efficit, & neceſſitudinem Ingeniorum, quorum corpora non poſſunt eodem contubernio cogi, colloquiis literariis adipiſcatur, nec immortalem nominis famam, nec gloriam illam vanam, quam plerique per nouitates ambiunt à futuris hominibus expetit. Ridet inuidos; contumelioſos & imperitos contemnit, iniquos bonarum rerum iudices, ineptiſſimos earundem cenſores. Doctorem nunquam reiicit, qui ſe ad lapſum vt ad cenſuram pronum, quod homines ingenui faciunt, agnoſcere voluerit. Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ in ſua dogmata ſpongiam permittit, ſi quid liberiùs, aut minùs piè dictum à ſe ſcriptúmve fuerit, in vlnas eius benigniſſimas totum ſe ſuaque coniiciens. De homine in hoc poſtremo ſcripto loquutus eſt, tanquam de animali in aëre viuenti quolibet, cùm ad generationem & curationem febrium cognoſcendam non ſit opus Animæ rationalis immortalem naturam adhibere, belluina pecora ſiquidem febrium detinentur ardoribus qui per ſolas nutritionis & vitæ cauſas Philoſophis, Venatoribus, Aucupibus, Hippiatris, Bubulcis, &c. innoteſcunt. Tractatus ſublimior de ſpiritu illo quem DEVS homini peculiariter conceſſit ad Commentaria quæ Pentagoni, Vniuerſalis Radiis primo & quinto debentur, iure pertinet. His nunc amice Lector fruere, ac ſi arrideant, expecta *Partem alteram, Doctrinæ iſtius Nouæ*, in qua cuilibet febris ſpeciei adiungemus è ſuppoſitis in his paginis curationem; & confirmata variis experimentis remedia in certis & notis hominibus ac locis, ex noſtra, patrumque memoria; præter

Centurias

Centurias aliquot ægrorum à nobis feliciter curatorum, vbi *Pulueris febrifugi* noſtri mirabilis dotes accipies. Porro vt extra omne offendiculum legas in toto codice ſcripta mutilos quoſdam locos inter moroſas Typographiæ operas, & Practicas Artis noſtræ occupationes relictos, calamo reſtitues, eo modo qui tibi patebit in calce libri, in quem reiecta ſunt errata.

Ad Medicas nunc me deſerta per ardua colles
Raptat amor, iuuat ire iugis quà nulla priorum
Pæoniam molli diuertitur orbita cliuo.

MEYSSONNIER. D.M.

CATALO

CATALOGVS OPERVM MSS. L. MEYSSONNIERI

Absolutorum breui in lucem mittendorum.

ARCANA noua veteris Sapientiæ; in quibus continentur, Tractatus de DEO *& Diuinis Attributis ex Meditatione planè rationali.*

De Diuinis Nominibus Hebræis, Græcis & Mysticis.

De Cognitione DEI *per fidem, & eius amore per Agapen, ex quibus vis orationum intelligitur.*

De Spiritibus bonis & malis.

Epistola de Fermentatione in Microcosmo, ex eius analogia ad Macrocosmum ad D. Iacobum Zieglerum D. M. Tigurinum.

De vsu Conarij Glandulæ, ex cogitationibus propriis, Epistolis, & responsis D. D.C. in quibus multa de memoria & Imaginatione, rara, noua, & hactenus inaudita.

Physiognomiæ fontes, & secretiora magnalia.

Cistula Medica continens xxv. capsulas cum singularibus remediis ad explēdos omnes Medicinæ scopos, officinis absentibus & cogente necessitate.

Aphorismi xxv. salutiferi olim Gallicè editi, nunc Latini, ipso Authore interprete.

De Cura calculi experimentis & demonstrationibus Logicis probata, Epistola ad Ampliss. & clarissimum D. Ioannem Beurouicium Senatorem & Medicum Dordrechtanum.

Epitome libri de Podagræ Generatione, causis & curatione latinè scripti.

Specimē Herbarij quod in qualibet planta quindecim explicat, 1. Nomina cum rationibus eorum in octo linguis. 2. Species cum figuris ex herbarū scriptoribus Antiquior. & Recentioribus. 3. Descriptionem ex quinque sensibus methodicè applicatis. 4. Loca in quibus nascitur. 5. Tempus quo floret, semina, aut fructus producit. 6. Locū in quo cōseruari debet. 7. Electionē ad Pharmaciam. 8. Astra quibus subiicitur. 9. Temperamentum ex doctrina Galeni cum Analysi Chymica. 10. Signaturā ad partes & Morbos Corporis humani. 11. Virtutes & experimenta, cum causis è præcedentibus. 12. Dosim. 13. Præparationem Dogmaticam & Hermeticam. 14. Vsus ad alias artes. 15. Antiballomenon adiunctis in Margine nominibus Authorum Botanicorum Harmonicè ad singulos hosce communes locos concinentium.

Specimen Selectarum cogitationum, in quo de ratione curationis morsus scorpij per eius applicationem, & de periodo & duratione rerum, &c.

NOVA

D. D. R. C. F.

NOVA, ET ARCANA DOCTRINA FEBRIVM.

Authore LAZARO MEYSSONNIERIO, Doctore Philosopho Medico, Lugduni Practico, Anno 1641.

EXERCITATIO PRIMA.

De Organis vitalis, & naturalis facultatis, motui humorum inseruientibus.

QVISQVIS naturam FEBRIVM intelligere cupiet, quibus *Organis* vtatur *Natura* ad functiones *vitæ*, & *nutritionis* obeundas primùm cognoscat necesse est, huic vt hypothesi scilicet superstruat, quæ postea validiùs è rationis, & experientiæ munimẽtis stabilienda sunt. *Hypothesis huius doctrinæ.*

Principia generationis.

Sic enim naturâ comparatum est Animale corpus, vt viuere debuerit propter animales functiones, & concursui mutuo genitalis materiei accesserit vis valida *duplicis*, ac quodammodo contrarij spiritus *ignei* videlicet vitalis; aërei verò *Mercurialis*.

Egregia descriptio operis naturalis in animaliũ propagatione.

Posterior hic, dum inter salsi seminis illices delitescit, accedente nouâ magisterij spermatici præcipitatione, vires acquirens suscitatur à socio animali eiusdem naturæ, & simul suscitat aduersarium flammeum, qui circulatoriam functionem cui incumbit, orgasmo turgentis, & insurgentis molis velut obice retardatam, quà data porta quicquid opponitur extrudit, ac fugatam volatilem, cum salsa substantia prosequitur, etiam extra limites corporis. Hoc eodem tempore, si conflictu simili in fœmineis locis succedente deiiciatur pariter pneumatica materia, fugante igne arteriarum, moles vtraque conuoluitur, & vtrumque spiritum conuoluit: accedente *sanguine* naturæ oleosæ, vero naturalis flammæ alimento, firmatur vnitus vitalis spiritus, centrum occupat globosæ massæ, & dum radios huc & illuc dispergit, Mercuriale πνεῦμα ad superiora tendens, impactum salsæ moli, tanquam vallo circum septum coërcet in eo loco vbi caput ex spermate conflatur, ac per arterias delatus, non solùm in ipsamet arce manus conserit, sed vbicumque nerui viribus animalibus viam faciunt. Vnde perpetuum illud in cadauerum sectionibus obseruamus, vt contigui sint arteriis nerui, excurrentes cum illis etiam in extrema corporis. Et illud, quod Antiquissimi Me-

Vis spiritus vitalis.

Mercurialis spiritus flatuosi vsus.

Principia materialia corporum animalium.

Cur nerui contigui arteriis.

dicorum

dicorum existimarint spiritus animales in cerebro, vitales in corde tanquam in regiis maximè vigere, ac inde quoquouersum in corporis partes flecti.

Cur diuersas sedes habeãt spiritus.

Et quia, nisi succrescerent vires vtrique, subsidiariis alimentis aduenientibus, altero vincente conflictûs finis fieret, spiritus vitalis *maternus* è corde per arterias, cum spermaticas, tum hypogastricas in vmbilicum fœtus intrusus, diductis in iliacos ipsius canalibus duobus ramis, aortæ nouiter efformatæ communicatur cum sanguine, continuâ diastole impulso, qui alimentum & vim vtrique addens non solùm circa cor, vbi primus focus incaluit, sed etiam in aliis quibusuis corporis partibus, vbi venarum, & arteriarum coniugium sobolescit; in cauæ truncum postea tum per venarum anastomoses innumeras, cum maximè per insignem illam communionem venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ traducitur. Per canalem enim aorta venæ arteriosæ, vena arteriosa arteriæ venosæ in pulmonibus, διὰ πολλὰς καὶ λεπτὰς ἀναστομώσεις ἐκφυγούσας τὴν ὄψιν; postrema hæc venæ cauæ, osculo peculiari in fœtu nondum edito coniungitur. A caudice verò illo venarum maiori sanguis, per vmbilicalem venam rursus in chorion redit, & per eas quæ placenta fulcitæ sunt venarum combinationes, sanguis hypogastricæ venæ maternæ restituitur, vt tandem in cor matris nouam coctionem per alteram, quæ *aëris* beneficio perficitur circulationem adipiscatur.

Cur spiritus maternus affluat conceptui.

Accurata organorum, quibus alimentũ à matre in fœtũ, tãquam circulo reuoluitur descriptio.

Quomodo fœtus in vtero alatur.

Ast vbi disruptis inuolucris, alimentum per vasa chorij, beneficio iecoris vterini è materno penu extractum,

Quomodo extra vterũ mutetur œconomia naturalis in nato.

tractum, nutritioni tantæ molis impar, ſpernit Embryo; fame premente, auctâque vi vtriuſque ſpiritus (cuius actiones ideò liberiores, quòd maiora minuſque contracta ſint curriculi ſpatia) vbi inquam animalis ſpiritus, commotâ totâ maſsâ ſociũ Mercurium in auxilium ex aëre externo, naturali ſympatheiâ conuocat; ſtatim in lucẽ tracto corpore *ſpiritus vitalis igneus* per patentes narium, & oris meatus in tracheiã arteriã *ſuperuenĩẽtis aduerſarij* vim experitur, vnde coactus ex venæ arterioſæ tubulo aortæ communi recluſis oſtiolis tribus, tum ipſius venæ arterioſæ, cum etiam magnæ arteriæ totidem in excauatos cordis ſinus, tanquam in iaculatorium hypogæum illabitur, vnde repellat vim aduerſam. Ita duobus cuniculis, ſepto medio diuaricatis coactus, diducit venæ cauæ, & arteriæ venoſæ coniunctiorem anaſtomoſin, vt ex vtraque, ſeorſim licet, fomentum ſibi conueniens, oleoſum terræ ſanguineæ immixtum trahat obſidioni longiori neceſſarium. Nam ex vena caua repreſſis ligaturâ ab obſtetrice factâ, in vmbilicali vena, iis qui in aliis vaſis continentur ſuccis, & qui à maternis affluxerant, ſanguinem refluere cùm ſit neceſſe, inflato tubulo diductis tribus occludentibus foramen eius in dextrum ventriculum oſtiolis, facilè ſanguis effunditur in cryptam excalefactam ignis naturalis præſentiâ, quo fit vt ſtatim (quemadmodum omnibus liquidis quibus aqueum aliquod admixtum eſt in excalefactum vas effuſis contingit) exhalans ſurſum feratur, ac propter deliteſcentes in ſuà cõmixtione Mercurij,

Ratio diuerſorum organorum in fœtu intra vterum, & in partu extra illum.

Ligaturæ venæ vmbilicalis ab obſtetrice vſus.

Circulatio ſanguinis deſcribitur.

particulas,

particulas ab illa vitali flamma fugetur, vnde in exitum, qui ſolus occurrit, venæ arterioſæ, diuulſis alıis ternis oſtiolis, vehementiùs in pulmones traditur, replens dilatatione ſuâ totum ventriculum, & occludens valuulas illas inferiores; per quas hęc gutta ſibi viam fecit; ac ſimul dilatans venam arterioſam (quæ verè ſemper officio, & compoſitione arteria eſt, & ante partum, vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt, & etiam à partu, vt hac noſtrâ demonſtratione clarè apparet; quâ diaſtole fit vt in arteriam venoſam, (verè etiam, & ſemper venam) pulſus ſanguis, per illas πολλὰς καὶ λεπτὰς, quæ viſum effugiunt anaſtomoſes, in traiectu à poſteriore parte pulmonis, quæ venam arterioſam ſuſtinet, in anteriorem, per quam arteria venoſa expanditur, intercipiente Mercurio frigido, aëri externo immixto, influēte per oſcula illa, cum aſperæ arteriæ oſcillis coëuntia refrigeratus, ac iterum coagulatus in ſanguinem venoſum relabatur, in duas illas mitrales arteriæ venoſæ valuulas, quæ pondere dilatatæ faciunt vt *ſanguinea gutta* iterum experiatur vim igneam ſiniſtri ventriculi, & quærat exitum, replens ſinum, occludens inferiora duo oſtiola, & exhalans in vnicum, & ſuperiorem caminum aortæ, recluſis tribus membranulis ſigmoeıdeis, tandémque, nullo dato refrigerio, aut alio exitu vniuerſas arterias continuitatis ratione vſque in extrema oſcula quæ venarum tubulis excipiuntur dilatans. Sic igitur iterum ſanguis in venas trāſcurrit, & ἐν κύκλῳ mouetur à venis in arterias per cor; & ab arteriis in venas per extrema refluit.

Ignis vitæ vſus.

Motus cordis demonſtratio.

Externi Mercurij actio.

In natis quomodo fiat accretio.

Sed quia non ita cohærent arteriarum cum venis anaſtomoſes, hinc fit vt in diaſtole dum ſanguis in venas expellitur, effundatur non minima pars eius in partes vicinas glutinoſa ex multo reſoluto ſale, ad fibrarum, & aliarum ſimilarium partium ſpermaticarum nutritionem, & augmentum. Quia ſimiliter venarum tunicæ laxiores ſubtiliorem ſanguinis partem ſeroſam, ac volatilem vix retinere valent, hinc fit vt per διαπήδησιν illa elabatur roris inſtar, cum diluendæ priori ſalſæ per vim aqueam, tum coagulandæ per mercurialem, cogente ſpiritu igneo, cuius proprium eſt fugare aquam, & ☿ vt in Pentagono demonſtrauimus, & poſtea repetemus, quodque continuò in mente habere conuenit, vt hæc faciliùs intelligantur. Quia denique multæ ſunt venæ deſtitutæ coniugibus arteriis, licèt nulla ſit arteria, quæ venæ careat coniugio; (vt ex ſaphena, & aliis multis probare facillimum eſt) per illorum ſurculorum capillares tubulos in carnoſas partes ſanguineum, ac craſſius, & terreſtre oleoſum alimentum deriuatur, quo augentur illæ, vt poſſint eſſe conuenientia inſtrumenta ſpirituum.

Duplex via nutritionis, & accretionis partium.

Cur venæ aliquæ coniugio arteriarum deſtitutæ ſint.

Mira primi Opificis prouidentia.

Ex quibus omnibus illud contingit quod imminuatur ſanguinis in venis contenti quantitas, quod ſi perſeueraret, duo maximè incommoda ſequerentur: Primum quod imminutione illa minus pleno exiſtente cauæ caudice non poſſet plenitudine impellente ſanguis in dextrum ventriculum effundi. Alterum prioris conſectarium, quod ita circulatione ceſſante, ne tantillum quidem alimenti partibus accederet.

cederet. Propterea igitur summus Opifex voluit, vt quod illam sanguinis in venam cauam effusi quantitatem ex hypogastricis matris canalibus per vmbilicalem venam cumulabat, idipsum lacte per os, & œsophagum in ventriculum, & intestina, ac tandem lacteas venas attracto compensaret. Statim enim ac in adultioribus præmansus cibus in ventriculum descendit, experitur ignis naturalis iacula, dum radios suos per cœliacæ arteriæ ramos in anastomoses venarum quas à porta recipit stomachus, & eos qui à Lumbaribus in tubulos alios portæ qui per omenti membranas superexpansi feruntur, dispergit, & suffusi humoris illius, quem per prædictorum osculorum minus absolutam compagem fluere suprà diximus vim serosam dissoluentem salem alimentorum, & sic totam molem emollientem. Non alia ratione, quâ stillæ quæ guttatim effluunt in eas lacunas in quibus linteola chartæ papyraceæ conficiēdæ gratiâ atterūtur. Efferuescit enim sic materia ad sensum ignei spiritus oleosum quærentis massæ admixtum, & aqueum, ac ☿ cum salso depellere volentis: mutua illa siquidem dimicatione analyseos aquæ beneficio, succus albus pulticulæ papyraceæ eiuscemodi non absimilis generatur, qui efferuescens, vt dixi, propter insurgentem ex vasis igneum calorem, in canales inferiorum intestinorum expellitur; vbi continuam adhuc ipsius flammæ vitalis patitur δύναμιν propter alias anastomoses cœliacæ, & mesentericæ superioris, ac inferioris in meseraicas venas diductas, quâ fit vt exagitatâ materiâ, pars eius

Qua ratione per os incipiat nutriri qui per vmbilicum suscipiebat alimentum.

Digestio quomodo perficiatur.

Apta comparatio.

Lactearum venarũ vsus.

Via alimenti ad venas.

eius præſertim ☿ aqueæ & ſalſæ familiaris ſecedat in hiantia lactearum venarum oſcula, ac minus oppreſſa à calore arteriarum vehementiori ſecundum venas, per quas temperatior ac quaſi fractus fertur vitæ ſpiritus, perueniat inter vaſorum illorum alborum helices in pancreas, recurrere non valens propter valuulas, marſupiolis non abſimiles intus foras ſpectantes, ac à pancreate in iecoris caua, poſt varios venæ portæ amplexus hic ab affuſo parenchymate quatuor quaſi diuerſorum vaſorum venoſorum naturas coniungente excipitur, & à cauæ tubulis ſucceſſione ſanguinis attracti à calore dextri cordis ventriculi ſuſcipitur, vt reparet abſumptã in alimentum corporis maſſæ ſanguineæ partem, ac plenitudinem vaſis ſeruet. Id autem accidit non alio modo quàm eo quo videmus, ab ea calefacto matratij fundo, per oblongum collum ſitulæ immiſſum extrahi aquam è ſitula frigidiorem: ventriculus enim dexter cordis ſimilis eſt fundo matratij; collum venæ cauæ trunco aſcendenti in cor; hepar ſitulæ; ſanguis aquæ: Et eo quo ellychniorum ignis oleum ſubexpanſum continuò attrahit lege penitus naturali. Impetus igitur plenitudinis, & ☿, ſympatheia ignis & oleoſi; vel vt Peripateticis me accommodem minus accuratis in hac parte Philoſophis, metus vacui facit vt ſanguis ab hepatis eo loco, in quo iunguntur cauæ, & lactearum venarum oſcilla, trahatur in dextrum cordis ſinum. In pueris verò facilior eſt lactis ἀλλοίωσις, quâ accreſcit corpus vt ab alimentis, in iis qui prouectiorem ætatem attigerunt.

Cõparatione, alimẽti in cor attractio explicatur.

Altera ſimilitudo,

attigerunt. De his verò à me dictum est, vt absolutissima concoctionis historia sine vllis ambagibus exponeretur.

Quod si quis adhuc expectet quomodo sãguis in *venam portam* transeat, quod à me prætermissum esse videtur; is obsecro recordetur superiùs demonstratum sanguinem ab arteriis in vniuersas venas coniuges diastole cordis effundi continuò: vnde cum cœliacæ arteriæ rami, & vtriusque mesentericæ ferantur intra tubulos venæ portæ, de quibus suprà diximus, non est intellectu difficile quomodo sanguis remeet in portam, à quâ iterum per quamplurimas, quarum nonnullæ etiam oculis manifestissimæ sunt, anastomoses refluit in cauam. *Quomodo sanguis in venam. portam trãseat.*

At verò quemadmodum *serosa* multa ex extremis arteriarum, & venarum oscillis relinquuntur, vel quantitate sua, vel etiam qualitate (quâ vniri nequeant principiorum ex quibus partes corporis conflantur mixtioni) superflua, vel in vapores per cutis poros vi prædicta caloris in aquam, & mercurium expelluntur, aut resoluta à sero, vt salsa, cùm eleuari nequeant per *sudores* extruduntur: ita à summo Opifice ignem microcosmicum moderante factum est, vt in illo plexu vasorum hepatis, dum moratur aduectus chylus, cùm pars volatilior, vt ita loquar, salsa & sulphurea, spiritui vini simillima, admixta purioribus, & subtilioribus reliquorum principiorum, aut matricum eorum partibus, modis supra notatis sursum rapitur: *crassior* & impurior *salis fixi* portio, tum propter exiguos meatus quibus in cauam traiectus *Excrementorum generatio, & separatio, qua ratione fiat.* *Bilis secretio.*

datur, cum propter naturam ſuam ſublimationi reſiſtentem diluta beneficio ſeri limpidioris ab arteriola è cœliaco ramo, in ſimam partem anaſtomoſi effuſi,& etiam proprij à potu tranſmiſſi, cum oleoſa craſſa,& terreſtri, oliui ſubſtantiæ non diſſimili deſcendat rectà in inteſtina per meatus cholidochos latiores deriuata, partim per veſiculæ biliariæ vaſa exilia,ex implexis cauæ, & portæ radicibus exeuntia attracta,ac in alterum canalem, qui ieiuni inteſtini principio inſinuatur extruſa. Iſta verò pars ſubtilior,& ſpirituoſior illuc impellitur vi ignis natiui *ſuperextructi* non aliter ac contingere ſolet in oleoſorum per deſcenſum deſtillatione: Pars autem alia craſſior quomodo ſeparetur explicabit facilè amurcæ, & fracium ab oleo ſeparatio quinetiam amaroris ingrata conditio non latebit eum qui illarum rerum naturam, & ſalium cum terreſtri,& oleo mixturam intellexerit eiuſque vires. *Innatat* enim *aquæ*, & diffunditur fel more olei: *pungit* verò *ſal* amarus qui deuſtione talis euadit,& conſumptione aquei, vt in melle deuſto manifeſtum eſt. Si quid porrò præterea *craſſi in cor trahatur* per violentas illas quas ſuprà explicuimus actiones, illud ipſum euectum in arterias ſuperioris trunci guttatim per diaſtolem extollitur, quod ſupra demonſtrauimus cum aliis ſanguinis partibus, ita dum occurrit ſucceſſione guttarum ſupra coronarias impetu πνεύματος delatus extra pericardium, pondere ſuo deorſum fertur per amplum eius tubulum trunco ſiniſtrorſum vertebris incumbentem, impellente diaſtole,

Craſſioris partis, & tartareæ ſeparatio.

Fellis natura.

Quomodo atræ bilis reliquiæ à ſãguinis maſſa recedant.

diastole, & proprio pondere in latè-patentem insignem illam cœliacam arteriam, & mesentericas, (minora enim, & propiora sunt, minusque obliqua intercostalium, & vtriusque phrenicæ ostia, quàm quæ recipere possint molem crassam humoris proprio motu in inferiora ruentis) per has enim vias truduntur illa sanguinis crassamenta in hepar iterum non solùm, & vesicam biliariam, sed etiam in ventriculum, in duodenum, ieiunum, &coli partem; at maximè in lienem, quem ideò Hippocrates, & meritò, aquarum receptaculũ appellauit, siquidem cùm excrementis per arterias reiectis continuum, perpetuò serum est; & huic procliui motui omninò fauet situs trunci arteriæ ad sinistra inclinantis vbi lien collocatus est, poris maioribus refertus, vt inueniat exitum impetus spiritus mercurialis sali adiuncti qui per hanc viam more spirituum, è cucurbitis chymicorum in vastum ventriculi *Recipiens* vt ita loquar expanditur per vas breue cuius beneficio intercedit mutua vtriusque connexio. *Fæx* verò *crassior* quæ tardiùs mouetur effluit per anastomoses conspicuas in splenicum ramum venæ portæ, ac copiosior dum vlteriùs progreditur, in iis quibus liberæ sunt venæ portæ, per medium sanguinem propria mole voluitur ad ventriculum, & intestina, contra motum sanguinis licet, cuius lentor patitur vim ponderis deorsum mouentis *fæcem melancholicam*; Nam per gastrepiploim sinistram fertur in fundum ventriculi; per epiplois posticæ ramos in coli partem, & etiam per epiploim dextram, ac tandem de-

Excretio impuritatũ lienis.

Accurata viarum quibus exit excrementum demõstratio.

uoluitur in meſentericum magnum illum & dextrum diuaricati portæ trunci ramum. In iis verò, in quibus ramuli venæ portæ à maioribus illis duobus tubulis procedentes oſtiolis foris intro ſpectantibus clauduntur, quas in plurimis Realdus Columbus annotauit, cùm non poſſit prænotatis itineribus ſe committere, ſerpit per maiorem illam ſplenici rami rectam viam ſublimiorem altera meſenterica, in quam vt ſupra deiectus labitur tandem in *hæmorrhoidalem* ramum prope bifurcationem exeuntem prædictis membraneis obicibus, quemadmodum & coniugio arteriarum carentem, per quem tandem ſecundùm coli finem in rectum inteſtinum inſeritur, ſupra anum vbi fluere ſolent hæmorrhoides in eiuſmodi naturis, aut ſaltem vehementes dolores infligere. De internis loquor: nam externæ ab hypogaſtrica prodeuntes plethorâ frequentiùs quàm cacochymiâ laborant. *Seroſi porrò humores* qui vlteriùs decurrunt, quodam quaſi repagulo retardati, propter contortum truncum arteriæ deſcendentis (dum ſub lumbaribus ad iliacorum ramorum diuiſionem venæ cauæ deſcendentis caudicem ſupergreditur) in emulgentes vtrinque deriuantur, ac in renes abeunt cum ſanguine, & dum ipſe in anaſtomoſes venarum emulgentium effunditur, refluunt per dilatatam illam oſcillorum viam, quod etiam agnouit Galenus, ac ſecedunt in canaliculos vreterum, vt ferantur in veſicam à quâ foras per pudenda prodeunt; quemadmodum accuratè explicuimus Epiſtola noſtra de Calculo ſcripta ad

Hæmorrhoidalium venarum vſus.

Vrinæ excretio quo pacto fiat.

CL.D.

CL.D.Ioannem Beuerouicium,Senatorem,& Medicum Dordrechtanum.

Quod verò ſuperiùs fertur *in caput*, cùm validiùs ſit, non ſolùm ad excutiendas debiliores ſanguinis partes ad latera facit, quod ex mechanicorum regulis planè naturalibus ſcientiſſimus Dominus D. C. confirmauit in methodo dirigendæ rationis Gallicè conſcripta; verùm etiam ad commouendos ſpiritus animales, & imagines rerum à ſenſibus receptas circa *conarium glandulam* compoſitas, ſiue terminorum ſimplicium ad enunciationem, ac tandem ſyllogiſmorum compoſitionem, (quòd in Epiſtola quadam noſtra ad prædictum Excellentiſſ. Dominum declarauimus.) Accedit vt multæ aquæ copia eleuetur cum ſale ſuo, per carotides arterias quaſi per ſiphunculos, cum ſanguine tenuiſſimo, quæ diffunditur exteriùs, dum arteriola quæque quæ coniungitur oſculis venarum perreptantium inferiorem maxillam labra, linguam, & circumiacentia loca; magnam ſaliuæ copiam effundit, quæ nihil aliud, eſt quàm *ſal in aqua reſolutum*, Φλέγμα Medici Græci, vocauerunt. Interiùs vbi iugularis venæ internæ ramis ad ſphennoidis ſellam commiſcetur, & aſcendens ad latus glandulæ pituitariæ, per meningem tenuem & ſubſtantiam cerebri diſtribuitur idem accidit, ſed *hæc materia* interiùs capite prono, per poroſum os ethmoïdes in nares abit; aut etiã per foramina cranij; quibus arteriis, venis, & neruis tranſitus datur, & ipſi medullæ ſpinali, vel per membranas, & muſculos,

Sanguis à corde, quomodo ſurſum feratur.

Arguta ſenſationis ratio.

Saliuæ eductio quâ viâ producatur.

Muci exitus patefit.

pterigoeideum internum maximè, & digaſtricum, quorum alter à cauo apophyſeos pterygoeidis, alter ab apophyſi ſtyloeide, & ſæpe à maſtoide oritur; in angulum autem maxillæ inferioris, & mentum inſeruntur. Nam quaſi per *filtra* humores ab his originibus multis foraminibus circumuallatis ſenſim effluunt in oris caua; vel dum per eaſdem *foraminum* & *carnium* vias ſublimiùs feruntur, poſt oſſa ſuperioris maxillæ circa illam oſſeam apophyſim quæ vomeri aratri ſimilitudine reſpondet, quoſdam *cuniculos oſſeos* ſubeunt ad latera oſſis ethmoidis, à quibus peruius eſt meatus narium, quibus mucus extrahi ſolet. Sed hi cuniculi ex tenuiſſimis oſſibus, partim latis, partim cauis, & ſphæricis in quamplurimis craniis à me obſeruati & demonſtrati, à nullo eorum qui oſteologiam tractarunt, mihi ſatis perſpicuè videntur deſcripti, cùm tamen non parum ad excretionum illarum vias cognoſcendas faciant.

Authoris obſeruatio.

Seminis expulſio ac à ſanguine ſeparatio.

Vltimũ eſt vt nil omittamus quòd per ſpermaticas arterias ſeroſâ ſanguinis parte ſeparatâ, tam per cœliacæ, quàm per meſentericæ, & emulgentis tubos; ſanguine puriori exiſtente accedentibus ſpiritibus animalibus, quos mercurialis naturæ eſſe ſupra diximus, è ſurculo ex ſecundo neruorum lumbarium pari fit quædam *præcipitatio ſalis, ac magiſterij puriſſimi*, ab omnibus corporis partibus ἐν ἐπιθυμῇ aduecti & in helicibus arteriarum ſpermaticarum, cum venis ſeminalibus à ſanguine ſeparati, quæ in paraſtatis tum in eiaculantibus vaſis, ad proſtatas ab eo ſpiritu volatili gubernatur, vt tandem eo modo quem

ſuperiùs

ſuperiùs indicauimus,per rimam pudendam,aut papillam in pene latentem expellatur.

Reliquum eſt nunc vt ad *craſſiores fæces* à vẽtriculo in tenuia inteſtina reiectas redeamus. Illæ igitur eadem viâ ab igne naturæ, & vi ſpiritus mercurialis ad craſſa inteſtina truduntur, quâ chylum in tenuia à ſtomacho: Illúdque præterea accedit, quòd mercurialis ſpiritus irritetur vehementiùs à felle quod excitat flammeos ſpiritus arteriæ cœliacæ, propter vim oleoſam, vt alimentum, & per vim ſalſam vt ἐναντίον; vnde tranſitus ſtatim in colon,vbi continuò diluuntur excrementa illa impura à mucoſa blenna per anaſtomoſes cœliacæ,& ramorum portæ reiecta, qua fit, vt poſt longos circuitus in rectum abeat, à quo per compreſſionem muſculorum abdominis; & motum ſphincteris voluntaria actione animali reiicitur.

Excrementa ab aluo quomodo per inteſtina reiiciantur.

Pituitoſa excrementa ab inteſtinis prodeuntia.

Et hæc ſunt quæ mihi breuiter dicenda videbantur circa conſtitutionem,& vſus organorum,quibus ſummus Opifex vti voluit ſpiritus animales, & vitales, ad generationem, vitam, & nutritionem. Neque enim hîc *de ſenſibus* dicere propoſuimus. Vt autem illa faciliùs aſſequatur qui hęc legerit,recolat ex anatomicis ſcriptis, de quibus Radio v.Vniuerſ. Pentag. diximus, fœtus conſtitutionem in vtero, vaſorum muliebrium, & virilium genitalium compoſitionem,cordis,pulmonis,hepatis, & capitis ſtructuram,ventriculi ab œſophago, & inteſtinorum ad rectum,arteriarum,venarum, & neruorum ſeriem; à Caſpari Aſellij libello venarum lactearum hiſto-

Quibus modis iſta faciliùs intelligantur.

Ex libris.

riam

riam accipiat: Aut si minus anatomicis se addixerit, curet sibi demonstrari ouis alicuius fœtæ, cum fœtu dissectionem; & lacteas in cane venas: Ac diligenter expendat quæ à nobis scripta sunt Pentag. Vniuers. Rad. 4. & Particularis Circulo 2 sic enim fiet vt reliqua faciliùs assequatur.

Ex visu.

Dubiorum quorundam explicatio.

Et quia quædam possent remorari etiam accuratiorem qui libris sine autopsia minus crederet, dubia aliquot soluere proposuimus, quæ hîc occurrere nobis visa sunt.

Obiectio prima.

Primùm enim, cùm Galenus 15. de vsu partium, cap. 6. meminerit cuiusdam *membranæ* in foramine communi venæ cauæ, & arteriæ venosæ, quæ ad pulmonis vas resupinetur, sanguini prohiberet aditum ad venam cauam, videtur corruere illa nostra sententia, quâ sanguinem ab arteria venosa in cauæ foramen refluere delatũ à venæ arteriosæ anastomosibus, cùm occurrat obex, membrana scilicet illa excipiens sanguinem à caua contra nos, & in arteriam venosam mittens, recurrentem à caua arcens. At qui curiosiùs scrutabitur quomodo se res habeat in expanso illo naturali viuo Anatomicorum libro, videbit membranulæ quidem elatæ positionem, quæ fortè partem valuularum foramen in enixo fœtu claudentium constituit, sed traiecto specillo ab arteria venosa, vsum adscriptum non probabit, cùm nihil obstet magis concidens hoc itinere, quàm in eo, quòd à caua ad prædictam arteriam venosam fertur. Neque enim nisi elato specillo tibi facilè innotescet istud suppositum ostiolum, quod & resupinatio

Membranula Galeno obseruata.

Responsio.

Vsus membranulæ in examen vocatur.

natio ad vas pulmonis in textu Galeni notata, & modus inueniẽdæ eius valuulæ Laconicè ab Hieronymo Fabricio expressus satis indicant; præter eam quæ à me tibi proponitur, experientiam; mollissima siquidem portio membranosa nihil obstat huc & illuc tunc temporis mobilis: vbi verò calor occupauit sinus cordis, tunc verè concidit, & obstruendo foramini cauæ eo modo quem suprà docuimus inseruire non diffiteor. Nec aliquis ægrè ferre potest, quod ego, qui in nullius magistri verba iurauerim, secus docente sensu, à Galeno iam discesserim, cùm id factum fuerit etiam ab eruditissimo Hofmanno in comment. ad hunc eius textum, dum asserit sigillationem canalis, & anastomoseon fieri à natiuitate intra biduum, aut triduum; cùm post octiduum ipse contrarium in vitulis animaduerterit.

Authoris excusatio.

Galenus ab Hofmanno reprehenditur.

Alterum dubium est, quomodo asserere audeamus sanguinem ad fœtum cum spiritu ab arteriis maternis aduehi in cor fœtus continuâ, & communi diastole, cùm experimentum Galeni reluctetur; dum dicit; *arteriis vmbilicalibus vinculo* constrictis secundarum arterias non pulsare; vnde sequeretur diastolem procedere omnino à spiritu vitali fœtus; sine auxilio eius qui à matre proficiscitur. Sed certè qui accuratiùs contemplabitur quomodo Galenus ad istud experimentum peruenire potuerit, sibi nobisque satisfaciet. Neque enim hanc tentare viam possit aliquis, nisi, vel diuulso vtero; quo modo nec res succedere poterit, quin discerpatur chorion membrana: at per tenuissimam membranam am-

Altera obiectio.

Experimentũ Galeni.

Responsio.

nion aër transſpirabit, & comprimetur ſanguinis in vmbilicalem venam manu diſcerpentis, ſequetur-que quod ſuprà docuimus de receſſu vitalis ſpiritus, & contractione in ſinus cordis, cuius beneficio ſine adiumento materno fœtum per ſe viuere poſſe non dubitamus, cùm ita quodammodo à matre ſit ſeparatus. Vel extracto fœtu, quo tempore id faciliùs continget. Integro autem chorio experimentum Galenicum poſſe perfici negamus; & in fœtum eiuſque arterias vitalem matris ſpiritum peruenire aſſerimus.

Examen experimenti propoſiti.

Hiſtoria Matthiæ Cornacis.

Noſtræque ſententiæ fauet hiſtoria à Matthia Cornace Philoſopho, Medico, Romanorum Regis Phyſico deſcripta apud Schenckium lib. 4. obſeruat. 181. matris ex poſthabita conuenienti ſectione cum puello mortuæ, etſi ſtatim poſt efflatam à fœta animā extractus eſſet à Chirurgo peritiſſimo, ipſéq; puer eſſet perfectus, & omnibus numeris abſolutus.

Cornacis dictum.

„ Subiungit Author clariſſimus. Inibi videre erat (ſu-
„ perueneram enim, & ego) certamen adnitentium
„ puello vitam, qui ante obierat, reuocare, & ſufflando
„ omnia tentare ſpiracula; ſed perperam, & fruſtra
„ omnia fiebant. In promptu cauſa eſt eruditis, & ana-
„ tomiæ peritis; ſiquidem in confeſſo eſt vitam, & mo-
„ tum cordis in infante à duabus arteriis vitalibus ma-
„ tris per vmbilicum fœtui, ſeu per inſitionem inſer-
„ tis dependere, quæ vaſa natura fabricauit pro cordis
„ refrigeratione. Quare cùm arteriarum motus in
„ corde matris ceſſet, earum etiam motū è veſtigio in
„ corde fœtus ceſſare neceſſum eſt, &c. Quæ ſi rectè
conſideremus, non ſolùm veritatem noſtræ ſenten-

tiæ confirmant, ſed etiam Galeni experimentum falſum eſſe conuincunt, quod hic minimè fecimus, mitiùs cum præceptore agentes, quem excuſare maluimus, quàm ſine manifeſto errore coarguere. Aſſumimus verò tantum ea quæ ad ſtabiliendam veritatem medicam faciunt apud eos qui ſibi magis indulgentes vix adduci poterunt ad laborioſam αὐτοψίαν administrationis Anatomicæ, vt perſpicuè ex authorum experimentalibus placitis, extra omne dubium ad eam trahantur.

Authoris erga Galenũ obſeruantia.

Tertium, & poſtremum quod dubitandi anſam præbere poteſt lectoribus, illud eſt, quòd *contra naturam valuularum*, venæ ſcilicet arterioſæ, & magnæ arteriæ ſpiritum vitalem in cor illabi diximus omninò, non negantes tamen illum in corde illuceſcere: priùs enim excauatos ſinus ab eo diximus; in eius verò debilitate circumſtante inimico dum expectaret ſubſidiariam materni ſpiritus vitalis copiam, concreuerunt vndique tubuli arteriarum, & valuulæ partes à ſale factæ, à mercurio coagulatæ, ſunt enim ſpermaticæ; vbi autem ſpiritus auxiliares adduxit ſtetit in arteriæ magnæ origine circa cor, ipſumque occupauit: neque enim, inquit Galenus cap. 16. lib. 6. de vſu part. valuulæ adeò exactè clauduntur vt viam ſpiritus auferre poſſint, quod huic obiectioni dubitantium ſatisfacere poſſet, verùm inſuper addimus, vehementem illum adeò eſſe motum occurrentis auxiliarij ſpiritus mercurialis externi, eamque eius vim primo momento, vt dum cogitur igneus vitalis ſe contrahere in

Tertia obiectio.

Valuularum diuerſus vſus.

Rationibus & autopſia explicatur.

Spiritus vitalis, & mercurialis in corde conflictus.

ſinus cordis, molles & debiles membranulas reprimat contra ſuam naturam. Statímque tamen, memor priſtini vigoris refluens per venam arterioſam maximè illas reſtituat, & etiam per magnam arteriam, dum adhuc moleſtus irritat mercurius per canalem communem nondum obſignatum. Quod autem mollities harum partium facilè cedat obſiſtēti ſpiritui, nullus negauerit qui ſciet in pueris valuulam illam inteſtinorum magnam facilè violari poſſe ab impetu enematum, vel etiam flatuum in ileo tamen ad ſtatum naturalem redire: Patet ex hiſtoria quæ extat apud Matthæum de Grad. cap. de vomitu, in Pract. Guainerij tract. 5. cap. 2. Iacobi Ophtei de Fabro Toldano, à Sennerto tranſlata in cap. 1. ſect. 2. part. 2. lib. 3. Pract. & aliis eiuſcemodi. Ex quibus omnibus notiſſimum eſt nihil à nobis huc tranſlatum, quod non ſit ſenſui & experientiæ, vt etiam rationi conſonum.

Argumentū à mollitie partium.

Experimentis res illuſtratur.

Concluſio totius exercitationis.

Quia verò Spiritus vitalis crebrò meminimus, de illius natura agendum paucis, quemadmodum etiam de Mercurio externo: Ac poſtmodum de Sanguinis compoſitione, & natura, vt ex iis quæ ſint cauſæ Pulſuum, mutationis Vrinarum, Calidi & Frigidi facilè innoteſcat, ac tandem quod ſit εἶναι Febrium.

Tranſitio ad alias hypotheſes.

EXERCITATIO II.

De Igne, Spiritu vitali, Mercurio, Sanguine, Pulsu, Vrinis, Calido, & Frigido.

NVLLVS *vitalis spiritus* naturam intellexerit, qui originem *Ignis Astralis, & Elementaris*, eiusque habitum ad continentia, & contenta sublunaris mundi ignorarit: de his Rad. 4. Pentagoni Vniuersalis diximus. *Sol* enim medius inter Firmamentum, & Terræ centrum emittit continuò *substantiam igneam* in radios circum circa diffusam perpendiculares, & obliquos diuersimodè, prout constituuntur terræ Climata ad Polos, & Sol mouetur ad quemlibet Tropicum. Hæc *reflexione* linearum radiantium fortior euadit, & accedente *refractione* è puncto centri diaphani omnino sensui manifesta redditur per vstionem, vt contingit in speculis è politiori chalybe, aut conuexo vtrinque crystallo paratis. His modis, priore scilicet, in concauis conuallium locis, vbi copiosiùs reflectuntur radij, ac in vastis planitiebus altis montibus obuallatis maximus viget calor æstate. In cacumine verò montiũ minimus, cùm dispergantur radij quorũ vis fracta, & reflexio quodammodo violata. Posteriore modo, vehementior excitatur, ab igne illo centrali, cuius Pentag. Vniuers. Rad. cit. meminimus. Hic enim per *marinæ aquæ maximè*

Natura vitalis spiritus, ex quibus cognoscatur.

Substantia ignea è Sole fluens.

Reflexionis, & refractionis radiorum vis.

Cur in cacumine montium frigus vigeat.

Ignis centralis terrestris causa.

diaphanæ conglobatam molem in centro terræ cauo, ita à primo Conditore diſpoſito continuo Solis aſpectu producitur, ídque ex eo maximè probatur, præter ea quæ à nobis in medium allata ſunt argumenta loco proximè citato, quòd in fodinis omnibus poſt 80. ferè hexapodum tractum calida loca ſint, nullúque quantumcumque profundè fodiatur, frigus perſentiatur, at ſemper calor, qui non poteſt ab alio loco procedere, quàm ab inferioribus ſedibus, cùm loca ſuperficiei terræ proxima iis maximè temporibus, quibus Sol ibi valentioribus pugnat radiis, intenſiſſimo frigore deſcendentes in ſubterraneos cuniculos ad hoc interuallum afficiat, coërcito quaſi vtrinque ab vtroque calore mercurio: Dum enim Sol receſſit, liberum receſſum inueniens, quaſi obſidione ſoluta relinquit in ſuprema terræ ſuperficie teporem illum ab inferiori calore continuum, quo ſeminum vegetabilium compages *ſoluitur*, vt poſſint eleuari in aërem calore Solis accedente, ſed de his alibi; ſufficiat oſtendiſſe ignis in aëre, & terra originem à nullo forſan adeò perſpicuè explicatam. De *proprietatibus eius, & habitu* philoſophemur: Primum eius proprium eſt *Mercurium afficere*; quâ ratione viſum noſtrum afficit, quod patet ex ſentiendi modo, quem attigimus Rad. v. circuli primi Pentag. Particularis, vnde illi peculiare *lucere, calefacere*; Quomodo verò, diximus Rad. 4. Pent. vniuerſ. *fugando illum* in ſua regna, vel eum *coërcendo* intra aliena; quâ ratione fiunt in natura maximæ mutationes. Secundum proprium ignis eſt *vrere*, quod illi accidit vbi *contrarietate*

Experimentum fodinarum.

Solutiones duorum problematũ circa mutationes temperamenti fodinarum.

Cauſæ productionis vegetabiliũ indicantur.

1. Ignis proprium.

Actio ignis in mercuriũ.

2. Ignis proprium. Vnde?

trarietate salis occurrente, coniuncta mercurio, pertinacior excitatur pugna inter vtrumque; Nulla enim sine sale fit combustio. Tertium est *oleosum attrahere*, hoc patet ex accensis ellychniis lampadum, quæ oleosum liquorem tanquam filtra ad ignem allicientem euehunt, item ex petroleo, naphta, aliisque sulphureis, quæ remotiora licet, nihilominus ignem ad se vocant: maximè quidem ex experimento illo quod extat apud Vigenerum lib. de igne, & sale cuius beneficio materia ignem alliciens xxx. annis in armario conseruatur ex camphora, sale nitro cum vini veteris vaporibus parata. Quartum ab *aqua extingui*, tanquam elemento planè contrario: Ad *aërem* verò, & *terram* simplicem habet se tanquam ad mercurium, & sulphur, sed tantùm quatenus horum principiorum naturam redolent, aliàs ἀδιαφόρως.

3. Ignis proprium.

Experimēta pulcherrima.

4. Ignis proprium.

Habitus ignis ad aërem, & terram.

Ex his igitur facile est intellectu quæ sit natura *spiritus vitalis*, qui planè est *igneus*, quod testatur primùm calor tactui manifestus, si nondum mortui animalis cordi, dilaceratis ventriculis digitos imponas; & actionum eius varietas in concoquendis, & assandis humoribus attrahendo oleosam sanguinis partem, fugando Mercurialem, & spiritum qui de eius natura est. At non *lucet*, inquies, quasi verò ignis semper luceat.

Ignis vitalis natura experimento probata.

Igneus est olli vigor, & cœlestis origo.

An negabis adesse noctu in aëre præsentem ignem, eò loci, vbi exagitato Lauri, Morive baculo ignis accenditur, aut è silice excutitur, aut ignis fatuus, aut

De luce ignis vitalis.

quem

quem Castora, Pollucem, & Helenam antiqui nautæ vocabant, excitatur extra Solis præsentiam, quia non lucebat prius. Quis nouit etiam num aliquid *luminis*, habeat ignis ille cardiacus, quem videre in laterna nulli contigit? Diuulso enim corde statim repleti sunt ventriculi eius sanguine, cùm multa sint quæ ignem posse adesse lucidum è corporibus humanis historicorum allatâ fide, testentur. Cardanus in monacho Carmelitano per annos 13. quoties capitium reduceret ad occiput, scintillas erumpentes ex eius capillis animaduertit. Idem in Heroina Caumontia, tanquam eruptionem vomitus ignei dum pectebatur annotauit Iulius Scaliger: Hermolaus Barbarus in concionatore Hispano; in equis verò crebrò id accidit. Quamobrem nullus est qui spiritum vitalem igneum esse dubitare debeat. Ad mercurium transeamus de eius origine, & habitu ad ignem, & alia elementa dicturi.

Cur non appareat.

Elegantes historiæ.

Mercurij natura explicatur.

Quid per *Mercurium* intelligamus sublata omni homonymiâ facilè colligi potest ex iis quæ à nobis scripta sunt Pentagoni vniuers. Rad. 4. *Principium illud scilicet, quod in aëre continetur*, tanquam sal in aqua, & oleosum in terra. Qui verò sensibiliter sibi perspectum volet, is consideret, & expendat omnes partes illius experimenti, vulgò cogniti, quo glacies æstate mediâ concrescit ex aqua hac ratione. *Recipe salis, & niuis aut contusæ in minutissimas particulas glaciei an. p. æq.* componatur mixtura ad latera vasis v. g. argentei aquâ dulci pleni: Hac solâ arte dum liquabitur nix, vel glacies cum sale, frigida in vase retenta

Experimentum eximiũ.

coagula

coagulabitur in gelu. *Spiritus* enim, siue *substantia illa quæ coagulauit* primò niuem, vel glaciem, transit à niue, vel glacie in aquam vasis, quam congelat, quia amica & familiaris est, veréque sympathica: vlteriùs porrò ab igne solari exagitatus in aërem fugatur. Hunc autem spiritum *non* esse meram *qualitatem*, sed verè *substantiam*, ex eo euincitur, quòd non possit vllum accidens extra substantiam momento quidem subsistere, cùm sola substantia per se subsistat; Accidens verò συμβεβηκὸς non possit esse nisi in ea: At contrarium eueniret; nam dum transit id quod primò coagulauit, & posteà coagulabit, à niue & glacie ad aërem proximum vasi; inde ad vas; tandem ad aquam: consideremus, cùm sint aër & glacies contiguæ substantiæ, non autem vna & continua, per *illud medium contiguitatis* transeunte illo coagulo glaciali, si sit accidens, id sequi, vt ibi, eo momento, qualitas sit sola sine substantia contra naturam accidentis; sic dum fertur ab aëre ad vas, à vase ad aquã contingit. Illa certè lynceam speculationem expetunt, nos reliqua persequamur. *Coagulantem igitur illum spiritum dicimus esse Mercurium, principium mundi elementaris contentum; cuius matrix continens est aër; motus cum cœlesti planeta mercurio, & sedes naturalis in locis à Solis via remotissimis, circa regionem videlicet polorum mundi in massa elementari*: Quod quidem nobis confirmant duæ potissimum obseruationes: Prima scilicet quod frigus intendatur magis ac magis in iis regionibus quæ ad polos propiùs, supra æquatorem eleuantur; quod non solùm patet ex historiis Septen-

Spiritus coagulans substantia.

Argutum philosophema.

Mercurius quid.

Obseruationes raræ.

trionalibus Olai magni, verùm etiam ex nouissimis relationibus, & tabulis Geographorum. Altera quòd *ventus Aquilonaris* frigidus & siccus glaciem nobis in Solis ad Capricornum recessu faciens fertur *à summo aëre ad terram* vehementiùs scilicet die excitatus à calore Solis tunc imbecilliori: contra naturam Australium ventorum in quibus Mercurius ad terram compressus per vehementiam radiorum solarium, illis recedentibus, Sole in lineâ noctis mediæ v. g. existente, aut vicinis ei locis conatur recurrere ad propria regna; vnde nocte potius excitatur, *& ab inferioribus ad superiora* fertur cum multo lentore, & humiditate summa, propter delatos admixtos vapores, & fatigatam naturam suam, ac quodammodo fractam. Nunc quomodo mercurius ille se habeat ad alia elementa videamus. *Fugatur* primùm *ab igne* vt ex superioribus patet per diuersos gradus secundùm diuersa subiecta quibus iungitur; Nam è continentibus elementis *aquâ* & *terrâ facilè*; siquidem gelu obducente, vt videmus, calore leuissimo in pristinam reducuntur naturam euanescitque mercurius: In *oleoso principio pariter*; nam etsi hunc rarissimè suscipiat, propter adsistentem continuò ignem (inuisibilem licet) quo sæpissimè oleosæ, vt loquuntur, *essentiæ* nullâ flammâ visibili imminuuntur in phialis minus rectè clausis, neque enim illæ gelu corripiuntur facilè, vbi tamen minus pura sunt oleosa vt oliuum, v. g. congelantur, facilè tamen ab incurrentibus istis mercurialibus retibus aduenientis ignis vi liberantur: Sali quidem pertinacius adhæret vnde

De Aquilone notanda.

Austri natura, & conditio.

Mercurij habitus ad alia Elementa.

Oliuum cur à gelu suscipiatur?

vnde fixum sal nonnisi vehementissimis ignibus liquatur, volatile, vbi plurimus ille Mercurius, facillimè sursum euehitur; Si verò terra mixturæ accedat idem quod in fixo sale contingit vt videre est in lapidibus; Atque id quidem calcis confectio maximè confirmat. Si *oleum, sal & terra* accedant minus firma est mixtio, vt in Karabe. At verò, si *oleum*, *& terra* præualeant, facillimè soluitur coagulatum vt in cera contingit, & pice. Ex iis quæ de aliis statuenda sint non est difficile constituere. Nam eius amor & sympatheia innotescit. Siquidem *volatilis, & variæ naturæ* iungitur facillimè cæteris substantiis principalibus; Aliis magis, aliis minùs tamen hærèt, prout varios habet gradus πήξεως. Is etiam quocumque modo resistit igni, imbecillioremque compressione crassiorum substãtiarum extinguit.i. *separat, elumbem, calore priuatum, & lumine reddit.* Etenim quod dicebat clarissimus Philosophus, & Poëta Lucretius: *Mercurius volatilis.* *Extinctio quomodo contingat.*

Haud equidem redit ad nihilum res vlla; sed omnes
Dissidio redeunt in corpora materiai.

iam ad sanguinis compositionem transeundum.

Ex iis quæ hactenus tradita sunt nullus est qui penitus non intelligat, *Sanguinem* esse compositam quandam ex aliis simplicioribus substantiam. Quæ verò sint illæ ἀνάλυσις explicat, quæ fit per *mercurij, ignis, & aquæ vim*: Accidit enim detracto è venis sanguine non rarò, vt oculis, coagulata reliquorum elementorum massa, *serum* exhibeat; hoc igne supposito separatum, & in vaporem solutum *salem* relinquit, quem gustui priùs exhibuerat; effuso item in *Sanguis quid?* *Crassior sanguinis anatome.*

aquam tepidam ſanguine, *pars oleoſa* ſupernatat; quinetiam ea refrigerata *mercurius volatilis* in ramentis ſalſæ naturæ, lateribus vaſis adhærentibus conſpicitur, *terra* in coagulatione manifeſta eſt; *aëreum* verò quid obtinere flatuoſa conditio eius ſatis indicat. Craſſior hæc ratio familiaris omnibus eſſe poteſt: At ſubtilior anatomia, vt loquuntur, pertinet ad eos qui arte ſoluunt corpora, ac ſeruatis ignis gradibus primò educunt *aquam* limpidiſſimam, deinde digeſtione facta à ſpiritu vini poſt aliquot dies ex alembico iterum nouo igne ſuppoſito, ab extracto ſpiritu vini lacteſcentes guttas *olei* vitæ, tandem *ſalem volatilem* cum *mercurio*: in fæcibus porrò dato igne fortiori aliud *oleum* craſſius exit, à cuius exitu è maſſa reliqua combuſta, *terra* exhauſto per lixiuium *ſale* reperitur. Si minus tibi placeant ἐγχειρήματα illa ſpagyrica, mihique credere nolis, lege Vlſtadij cœlum Philoſoph. cap. 14. Libauij c. 20. libri 8. Tom. 1. Syntag. Arcan. Chymic. At illæ partes non adeò pari quantitate inter ſe mixtæ ſunt, vt nulla excedat: *oleoſa* ſiquidem & *terrea* in naturaliter *bene conſtituto* prædominantur, deinde *aquea*: *ſalſa* autem *aquea* & *mercurialis* in eo *qui p. n.* mouetur in corpore excedere conſueuit.

Subtilior ſanguinis analyſis, in propria principia.

Vide etiam Querc. Tetrad. cap. 9. Fab. Myro. cap. 8. lib. 1. Rubeũ ſect. 2. c. 11. Erneſt. de oleis chym. deſtil.

Quantitas principiorũ, & elementorum in ſanguine.

Ex quibus omnibus non laborioſè intelligas, quæ ſit ratio varietatis *pulſuũ*, quæ in *arteriis* explicatur; ſi videlicet huic contemplationi ſanguinis repetitam conſtitutionem digeſtionis, & compoſitionis organorum, quibus ſanguinis motus perficitur adiũxeris: Nam cum pulſuum ſpecies ſimplices ſint eę ferè, quæ

Pulſuum varietas vnde?

à *quantitate, tempore motus*, *& arteriæ constitutione* desumuntur, *magnus* scilicet, *celer*, & *mollis*, ac *qui illis opponuntur*, tum reliquorum *crebri* videlicet, & *vehementis* species ex illorũ explicatione non difficulter intelligi possint, existimo si eorum causas attulero, posse facillimè quemlibet ad eas, quibus alij solent excitari me demonstrante peruenire. Quotiescumq; etenim cõtingit venam cauam multo sanguine distẽtam *maiores guttas* in sinum cordis effundere, ipsumque sanguinem *multo oleoso* abundare, tũc accidit cordis diastolem esse maiorem, & venæ arteriosæ: cùm autẽ id sequatur in arteria venosa, necesse est id etiã in magnæ arteriæ trunco, & consequenter in reliquis eius ramis accidere. A qua verò causa *sanguinis multitudo* augeatur facilè capiet quilibet physiologus, cùm vel ab alimenti ingesti copia, aut facultate treptica potẽtiore quæ in euchymis consideratur, aut à cursu sanguinis retardato quasi repagulis obiectis, quod in synochis potissimum febribus contingit, vt postea demonstrabimus. *Celeritas* verò pulsuũ hanc potissimũ causam agnoscit, quia *premente multitudine guttarum* διαστολῶν numerus minorẽ temporis quantitatem expetit, quàm sanguinis mediocri existẽte copia. *Paruus pulsus* contrarias habet magni pulsus causas, quemadmodum & nomen, siue sanguinis quantitatẽ spectes, siue compositionem, quia sanguis *aquosus*, & plurimo *sale* redundans, cùm paucissimum habeat oleosum, vix ab igne vitali suscipi potest, pulueri pyrio madido simillimus, aut imbecilliori vini spiritui: vnde contingit, in moribundis pulsus

Pulsuũ differẽtiæ præcipuæ.

Pulsus magni præclara ratio.

Sanguinis copia à quibus.

Celer pulsús vnde?

Paruus pulsus quomodo nascatur?

paruos tactui ſubiici, exhauſto videlicet toto ferè oleoſo, in multiplici ſanguinis traiectu per cor, acceleratâ continuò circulatione, quâ fit vt acutiores morbi ſint breuiores, & periculoſiſſimi: extinguitur denique calor ex contrariis ſibi principiis, ac mors ſuccedit, nam cùm nullum habeat ille fundamentum, nullum fomentum quo ſuſtineri poſſit, ad extrudendas reliquas inimicas ſubſtantias, euenit vt ſuſcepta facilè à cognato Mercurio ſalſa, & mercurialis cum aquea ſubſtantia, ipſaque aërea relabatur, & pondere eius violatâ naturâ valuularum tum venæ arterioſæ, cùm etiam magnæ poſtea ſuffocet imbecillem ſpiritum flammeum, alias impetum in ipſas facientem. Sic ex contraria ratione ei, quæ celeritatem pulſuum inducit, innoteſcit cauſa *tardarum* pulſationum arteriæ. At verò natura arteriæ exprimit quandam *mollitiem*, aut *duritiem* quaſi habitualem difficulter mutabilem, cuius familiares medici potiſſimum debent habere rationem: Accidentalis autem tenſio quæ *duritiem* quandam, conuulſionem præſignificantem comitem habet, accidit à communione, ac quaſi coniunctione neruorum, & arteriarum, non ſolum enim nerui arterias coniuges ſuſtinent, ſed etiam in extremis ſimul quodammodo coëunt, quod rectè ex αὐτοψίας. Fide annotauit Chirurgus inter anatomicos non poſtremus Bartholomæus Cabrolius obſeruat. 2. In reſolutis eadem de cauſa *mollities* occurrit. Hinc igitur manifeſtum eſt quæ ſint cauſæ omnium pulſuum cùm reliquæ differentiæ ex prædictis componantur, quemadmodum

Mors & ſuffocatio qua ratione contingant.

Tardi pulſus.

Mollis & durus pulſus.

Reſolutorũ pulſus, & eorũ cauſa.

dum clarè explicat Leonhartus Fuchsius Medicus clarissimus ex doctrina Galeni compendiosè lib.4. Instit.sect.4.cap.3. ad eum lectorem amandamus cui speculatio ista non ingrata fuerit. Breuitati consulimus,ne nos Crispini scrinia lippi compilasse putes, nostramque quàm simplicissimâ verborum serie sententiam ad mortalium vtilitatem proferimus. Iam de vrinis pauca dicamus.

Quomodo serosa sanguinis pars è corde eiecta in arterias,ad emulgentes eas quæ ad renes pertingunt, continuò perueniat suprà scripsimus; Eaque dissertatio aliter de cōcoctorum ciborum digestione annexa satis indicat *vrinam esse particulam eius sanguinis, qui per arterias in venam transfertur.* Aduenit autem sanguis ille à venoso genere, & à liquidis in ventriculum iniectis potissimum ducit originem, iisque forsan quæ per *asperam arteriam* delabuntur, cùm ipsi adiaceant anastomoses illæ venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ, quæ in sinistrum cordis ventriculum ducit, à quo in caudicem aortæ amplissimus patet exitus. Multa verò, è liquidis labi in fistulam illam pulmonum iampridem experimento sensibili comprobauit Hippocrates libello de Corde. Igitur *qualis est sanguis in arteriis contentus, talis est vrina*, si modo liberæ sint renum carunculæ,vreterum & vesicæ tubuli ad extremam vrethram: Sæpissimè namque contingit vt locis illis calculo, vel tartaro, vel pituita occupatis, terrestribus, videlicet, & salsis inquinamentis, transcolata vrina multa fœculenta oleosa, & salsa soluta extra corpus minimè deferat:

Vrina quid.

Per asperam arteriam liquida in vasa feruntur.

Conditiones vrinæ ad diagnosin.

At

At expeditis viis, si quid impurum sit in sanguine, siue illud sulphureum sit innatans aquæ, velut *oleum,* aut nubes conspicitur, siue *mercuriale* sali volatili iunctum in materiæ medio, & lateribus eius instar cremoris albi, & est ἐναιώρημα Græcorum medicorum; siue *salsum & fixum*, ac *tartareum terrestre* quod ὑφιστάμενον, vel ὑπόστασιν iidem esse dixerunt. Hæc autem vbi maximè naturalis est sanguinis compositio suis locis conuenienter disponuntur, ac quantitate suâ, paucissima enim existunt, salsa fixa, aut tartarea. Vbi verò turbatus est sanguinis motus, & dissona principiorum illius mixtio, inæqualiter spiritum vitæ afficiens, tunc profectò *turbatæ* vrinæ existunt; aut saburram tartaream, impuram, & fœtidam pro hypostasi habent, aliaque eiuscemodi quæ in massa sanguinea superfluunt: Oleoso vincente in sanguine *citrinę* illæ sunt; mercurio cum terra & sale *atræ* in diuersis gradibus; *lacteas* sæpissimè pus efficit, *albas* quãtitas seri à nimia epota aquâ, aut assumptis aquosis liquoribus; *vineas*, aut *sanguineas*, vel quantitas sanguinis immodica, vel aliud quid dilatans anastomoses arteriæ & venæ emulgentis, cum carũcularum venalium papillis, aut vreterum tubulis, aliis locis, per quæ vrina transit non exulceratis, aut vulneratis. *Viridis* eadem ratione fit quâ vrina nigra, per principiorum mixtionem scilicet. Nam quemadmodum ex humoribus acidis sale volatili saturatis, vitriolatis vt vocabulo chymicorum vtar admixtis aliis styptico .i. aluminoso præditis color *subniger* oritur: ita si hic luteo & bilioso, de quo supra facillimè

Vrinam cõponentia.

Vrina sanorum qualis.

Vrinæ ægrorũ turbatæ vnde.

Vrinæ citrinæ, atræ causa.

Lacteæ ratio, & albæ.

Vineæ, & sanguineæ.

Viridis vnde.

Similitudo ab experimento.

limè ſit ſubuiridis. Id infectorum experimenta, vt etiam vitrum appoſitorum diuerſicolorum, oculari demonſtratione comprobant: *Cæruleum* colorem præterea naturâ in noſtro corpore generari poſſe huic ſimilem qui à pictoribus ex combuſtis nitri floribus, cum æris, limatura, & ſabulo; nam in animalium corporibus reperitur, & nitrum inflammabile, & æruginoſus humor; & arenularum non exigua copia; ignis præterea validus, illa percoquens; ſed de his alias in commentar. Pentag. noſtri DEO propitio bene volente. De quantitate porrò vrinæ, & de cauſis eius, adeò manifeſta doctrina ex præcedentibus elici poteſt vt plura huic noſtro Compendio adiicere planè ſuperuacaneum videatur.

Vrina cærulea.

Quantitas vrinæ vnde.

Vltimum ſupereſt, vt ex eorum omnium meditatione conſideremus, quanto in errore verſentur plurimi plebeij medici, qui naturam *Calidi & Frigidi* non aſſequuntur, quòd iſta minimè percipiant; vnde nec medicamenta calefacientia, nec humores ritè diſcernunt, cùm non deuenerint in veram diuiſionem mundi Elementaris, & Microcoſmici, ſiue alterius cuiuſuis animalis; Nam vt de poſtremo loquar. Quis pipere, mortuum corpus, ſpiritu vitali deſtitutum, affuſo, infuſo, aut bile aduecta calefaciet, etſi vtroque, medicamento vel humore repleatur; at illis viuens exardeſcet; vnde manifeſtum euadit ratione ὀνοςμένος animalis calidum dici quodlibet, aut frigidum; illúdque *impetum faciens* eſſe ſolum & verum *calidum per ſe*, reliqua tantùm κατὰ συμβεβηκός. Quicquid enim oleoſum ſiue ſulphuteum

De Calido, & Frigido.

Error vulgi medicorum.

Exemplo demõſtratur.

Verum calidum.

Accidentale calidum.

potest *calorem illum vitalem accendere simpliciter* vt v.g. oleum anisi, &c. aut etiam cum quadam irritatione vt grana piperis, quia cum oleo salem habent, & nitrum quod præter hæc duo mercurium mixtione sua recipit, *calefacere* dicitur. Quamobrem & *vinum* pulsus maiores efficit, cùm oleoso spiritu constet, *aqua* verò minime in sano corpore; (quæ enim fiunt per accidens hîc à me non intelliguntur) nec *lactucæ succus, aut portulacæ*. A qua priore conclusione posterior altera emergit. Quicquid salsum purè est aqueum, aut mercuriale, *per se refrigerat*, cùm *calorem extinguat*, vt sal nitri combusto sulphure eius dum fit *Lapis prunellæ*; aqua dulcis, & ea quæ sunt de natura coagulantis illius spiritus de quo suprà, vt substantiæ narcoticæ quæ latent in papauere hyoscyamo, strammonio, & similibus extinguentibus tandem vitalem spiritum in animali; nam præualet in his plantis licet ex aliis pariter principiis mixtis sint conflatæ. At inquies *sal commune calefacit*, & quod è cineribus educitur causticum est, & vrit? Rectè; sed non per se, at omnino per accidens, saltem causticũ, vt nunc clarè demonstrabimus. Primum enim sal è mari aduectum *multo oleoso* circumfusum est, & aquæ maris oleosa innatant, vnde in incendiis extinguendis infeliciter vsurpatur; habet præterea in se spiritum mercurialem flatuosum quod per accidens irritat calorem natiuum. *Caustica* verò quia attrahunt aquam è corpore, peculiari natura salis, quâ allicit matricem suam, vt videmus eo in locis hu-

Cur à vino pulsus maiores.

Frigidum quid.

Obiectioni occurrit.

De Causticis.

midioribus reposito: igne vitæ accurrente excitatur inflammatio, quæ cessat vincente sale dum fit eschara, in eo quem occupauit loco. Atque vt illud extra omne dubium elucescat, considera cum Vigenero tract. illo citato de igne & sale pag. 101. *Cauteria non agere in partem mortuam, insensilem natiuo & vitali calore destitutam*, quod tibi confirmabit experientia. Et hæc mihi supponenda videbantur antequam naturam febris exactè perpenderem; Nunc ad istam exegesim ex professo transeamus.

Inflammationis causa.

Experimentum notandum.

EXERCITATIO III.

De natura Febris in genere, & de ea quæ in Pleuriticis excitatur.

P*Vlsus celeritas, grauitas, ac quasi dissolutio corporis, acrimonia caloris*, tum ex cute in *carpo*, tum per *nares* erumpentis, Medicis *Febrem* significant, siue vt illi vulgò vocant Calorem in corde accensum præter naturam, ac in omne corpus effusum. Quisquis autem causas trium illorum symptomatum rectè examinauerit, omninò febrium generalem notitiam assequetur, si ex superioribus repetat, quæ à nobis scripta sunt de organis vitalibus & naturalibus, de animali, & vitali spiritu, mercurio, pulsu, pariter & iis quæ calida & frigida dici possunt.

Signa Febris.

Febris definitio vulgata.

Febrium generalis notitia vnde?

Sic enim fit *Febris* nostrâ quidem ſententia quam non ſolùm Pentag. particularis circulo 5. Rad. 2. edit. primæ pag. 86. verùm etiam in Aphoriſmis XXV. ſalutiferis Gallicè à nobis editis, Aphoriſmo XXIV. cuius hæc ſunt verba Latinè reddita:

Febris quomodo fiat. Cum Sanguis commotus, ignis naturæ incremento in vaſis tantiſper extra proprios fines impellitur, ab externo ſpiritu intercipitur, coagulatur, eiuſque motus anomalωs interturbatur; refluit enim, ac refluxus ille incrementũ addit, illud porrò *Febris* appellatur.

His verbis contractiori forſan ſtylo exaratis adſcribamus commentarium, ex iis quæ ſuperiùs tradita ſunt, vt luce meridiana clarior, doctrina hæc de febribus noſtra in vulgus exeat.

Sanguis à quibus commoueatur. Ac primò quidem accipiamus ſanguinem, *commoueri* ex aliqua earum rerum quę non naturales vulgò à Medicis appellantur *aëre* videlicet, *cibo, potu, ſomno, vigilia, motu, retentis excrementis, aut animi affectionibus:* Ab illis omnibus enim ſanguis commoueri poteſt *extra limites ſuos*, pulſus incitari, & ſudor excitari. Qui verò ſint *limites ſanguinis* manifeſtum euadit ex iis quæ primâ Exercitatione continentur: nam ab arteriis in venas ſanguinem tranſire diximus, beneficio anaſtomoſeωn quibus ſingulæ arteriæ ſingulis venis excipiuntur. Cùm igitur tranſpiratio vehementior eſt à commoto ſanguine, aut ſudor, tunc ſanguis aliqua ratione exundare extra limites ſuos dicitur, quia in ſummis & diſtentis ac quaſi diſtractis oſcillis *Limites ſanguinis.*

inſidet

insidet, atque eò magis externo aëri ambienti exponitur quò magis ad rimam quam distractæ anastomoses possent efficere accedit. *Spiritum* autem *externum* Mercurium esse dicimus, de cuius natura suprà disseruimus; hic facilè sero, ex aqua & sale composito se insinuat, ac se communicat huius beneficio commoto sanguini illi extra limites suos insidenti, apertis, & hiantibus poris, & meatibus cutis: Est enim rugienti leoni similis semper circumeunti, & quærenti quem deuoret, Quamobrem accidit vt sanguis qui continuò accedit per diastolem arteriæ, non possit ampliùs fluere in venam, obice, ac repagulo interposito: Ergo hunc refluere necesse est, per viam quâ ad anastomosin peruenerat, arteriam scilicet, ac in alium ramum migrare contra naturam motus, peruerso vsu diastoles. Cùm verò id in pluribus venulis, & arteriolis occupatis contingat sanguinem fluere per paucas alias non occupatas euenit, quæ distentæ citiùs, & vehementiùs sanguinem in venam cauam refundunt, hæc turgens violentiùs se exonerat in dextrum cordis sinum, & maiores guttas effundit, à quibus vt dixi plenitudine concitatis necessariò accidit *celeritas* pulsuum, & magnitudo in principio, sanguine nondum oleosa parte sua priuato, spiritus tamen vitalis non quiescit, sed sanguini admixtus fortiùs insurgens continuâ, & acceleratâ diastole nititur aduersarium sede sanguinis occupatâ, vbi oleosæ, & præsertim salsæ parti alligatur, validissimè expellere. Cùm tamen altiùs inhæreat, quod maximè contingit vbi calore natiuo ad alia loca distra-

Spiritus externus quis?

Sanguis interceptus.

Celeritatis pulsuum in febribus causa.

Spiritus vitalis actio in febre.

cto multùm temporis obtinuit, aut vbi Sole remotiori validior est vis spiritus mercurialis, quod supra docuimus, multæ sint sanguinis intercepti partes fixæ salsæ & terreæ, non vna aut altera circulatione expellitur: sæpe enim, licet centies in corde sanguis quotidie circuletur, vt Radio 1. circul.3.Pentag.particul.notauimus tertio dierũ septenario vix expellitur; ne dicam primo, aut secundo: Sanguine siquidem, sale in eo præualente, aut mercurio, roboratur externus spiritus occupans impactus sali, nec nisi aduecto copioso *sero salem dissoluente*, & *continuò vrgente igne naturæ* solutâ concretâ massâ, sudore effuso extra limites corporis fugatur, vincente calore naturali, qui tunc mitis euadit, cum priùs vehementiùs contendens extruderet salsum quodque circum vicinum, aut oleosum illi adiunctum; vnde *caloris acrimonia* & *graueolens* plerumque *exhalatio*. Quia verò, vt dixi concitatâ diastole, sanguis irruens per venam cauam in cor, & in venam arteriosam continua successione eadem vehementiâ agit ex arteria venosa, dum sanguis per sinistrum cordis ventriculum fertur in aortam; hinc fit vt aër qui occurrit transitui eius humoris circulatoriè se mouentis in anastomosibus arteriæ venosæ, & venæ arteriosæ è tubulis asperæ arteriæ prodiens dum repellitur magnâ vi ab irruente spiritu igneo calorem insequentem comitem habeat etiam in *exitu corporis* per *nares*. Interea porrò cùm effundantur plurima serosa vndique in musculos, obducũtur ita vt vix liberum transitum dare possint spiritui animali [mouenti. Adde quod

Febris solutio, quo pacto contingat.

Caloris acrimonia vnde, & graueolentia.

Calidi per nares exhalãtis vaporis causa.

Causa lassitudinis, & difficilis motus.

quod is naturæ mercurialis turbatur validiùs à calore igneo vitali, vnde non ſolum *motus*, ſed etiam *ſenſus* contingit perturbatio.

Viden' igitur cauſas & origines veras, & genuinas ſymptomatum quibus febris medicis innoteſcit? viden' illud *incrementum caloris natiui* irritati *febrem* eſſe? viden' quibus viis & mediis turbetur eius œconomia? quâ motus illius anomaliâ afficiatur? Placet exemplo Febris illius quæ in Pleuriticis excitatur rem totam illuſtrare. *Anacephalæosis Dictorum.*

Hyeme fiunt πλευρίτιδες, inquit Hippocrates 3. Aphor. 23. Obſeruaui (ſubiungit VVolfgangus Gabelchouerus curat. 76. centur. 4.) multos dum ab exercitio vehementi calefacti ſiccitati & ſqualori corporis ſuccurrere potu aquæ frigidæ ſtuduiſſent, vel veſtibus depoſitis aërem frigidum incautiùs admiſiſſent, mox in periculoſam hanc affectionem (pleuriticam) incidiſſe. Supponamus igitur aliquem hyemali tempeſtate ſæuiẽte ab exercitio pilæ vehementiori in ſudorem lapſum, qui cùm minus cautè ambienti frigido ſe expoſuiſſet, dolore lateris, anhelitus difficultate, tuſſi & continuâ febre laborare cœperit. Quæritur quomodo febris hæc producta fuerit? In promptu ex ſuperioribus cauſa eſt: Per exercitium ſiquidem commotus ſanguis prorupit vehementiùs in cordis ventriculos modis ſupra deſcriptis: Hinc ſpiritus vitalis augmentum, non aliâ ratione quàm eâ quâ iniectio copioſiori vini ſpiritu altior flamma aſſurgit; vi aduerſa aquæ & ſali ſerum extra vaſa per coëuntes anaſtomoſes eliminatur; ali- *Pleuritidis cauſa externa.* *Exemplum rem totam explicans.* *Exegeſis paradigmatis propoſiti.*

qua

qua etiam ſanguinis portio præterlabitur,& dum ab intercoſtalibus arteriis in venas coniuges tranſit ab aëre externo hyemali exultante & vigente tunc validiſſimè, mercurio corripitur, dum ipſe naturalibus amplexibus humori applicatus ſalem in interiora vſque oleoſæ & terreſtris maſſæ ſequitur: Hinc eſt quòd concreſcat ſanguis; Quod neſcio quâ arte nouerint etiam noſtrates ruſtici quibus hic affectus *Lou-ſan-prei*. i. ſanguis concretus nominatur. Nam quod rectè obſeruauit Felix Platerus in examine Pleuriticorum ſectioni adhibitorum, macula tantum liuida deprehenditur, quæ profectò ſatis indicat ex corrupta ſanguinis portiuncula concreta putrefactionem inuectam in pulmones & ipſum cor; pulmones ſiquidē pleuræ affiguntur adeò vt ægrè ab ea diuelli poſſint, nam tum propter mediaſtinum quod à pleura oritur cum etiam propter illum motum vehementem cordis, & arteriarum in diaſtole accelerata circa partes pectoris vicinas vitalibus ſedibus, & reſpirationis organis in quibus ſpiritus vitalis vrget vehementiùs, & in audersarium inuehitur per ramos arteriarum intercoſtalium, non ſolùm fit *difficultas anhelitus, & tuſſis*, ſed etiam contrahuntur ad ipſam ſuccingentem membranam pulmones, vi ſpiritus irruentis in eius partes malè affectas in quibus ideò *dolor* excitatur *punctorius* propter ſenſum membranæ, & ſpiritus animales per neruos à ſpinæ medulla influentes eius agitatione affectos. Quomodo verò afficiantur ſignificauimus Pentag. particul. Circul. 1. Rad. 5. nec locus iſte poſtulat vt hunc

Ruſticorum ἀγχίνοια.

Cauſa putrefactionis, & puris pleuriticorū.

Cauſa ſymptomatum pleuritidis.

hunc plenius enarremus. Sufficiat nos demonstratione sensibili *sanguinem concretum* in plenitudine exhibuisse recurrentis sanguinis ab arteriis, *refluxum* vehementiorem, pleniorem,& feruidiorem in *sinus cordis*, excitatum, aliorumque pathognomonicωm (ita medici vulgò vocant) *signorum* doloris lateralis pleuritici causas explicuisse, ex quorum intelligentia nullus opinor ignorare poterit quomodo febris in genere accendatur .i.quomodo *anomalωs spiritus vitalis commoueatur, sanguinis motus impediatur*, & *naturalis œconomia subuertatur*. Ac vt cumulatim satisfaciam etiam morosissimis, audiant ex victoria, quam spiritus in hoc casu reportat, plenissimam totius rei confirmationem; siquidem vera huius morbi solutio illa est quæ fit per *sudores*: testatur hoc Anaxionis historia apud Hippocratem 3.Epid.viri Romandioli, apud Amatum Lusitanum centur.1. cur.52.vxoris à Tauro centur.4. curat. 86. maximè verò Romani illius prope Liuiatem habitantis qui sine sanguinis missione vulgari, existimato huius mali remedio; copiosissimo, critico, naturali planè *sudore* die XIV. morbi ad sanitatem redierit: curatio extat centuria 7. num. 28. Idem Caprarij cura confirmat, quam recenset Valeriola lib. 5. obseruat. 4. addens idem accidisse Arduino Marino, & Iacobi Bonsoni filio. Id denique obseruatio curatæ Ioannæ Gueneteret, vxoris Ioannis Maublan Vesontini apud Ioannem Chiffletium obseruat. 22. Et ne plura congeramus id in quamplurimis à nobis obseruatum est; imò non adhibitis Medicorum ignorantiâ, vel

Summa huius doctrinæ de pleuritide.

Vsus eorum quæ de pleuritide hic sũt tradita.

Sudor indicat pleuriticos.

Historiæ Medicæ probantes sudoris vim in crisi pleuriticorum.

Authoris experientia. astantium negligentiâ conuenientibus remediis aliis, in vera Pleuritide sudorem excitauimus diebus decretoriis 7. & 14. quod nobis feliciter cessit, præsertim verò in adolescente prædiuite qui tempestiuâ phlebotomiâ omisŝâ ad mortem properabat, ille siquidem septimâ morbi propinato à nobis vocatis *potu hydrotico* intra biduum sanus in publicum prodiit: vocatur ille Serre, & Burgundij apud Delphinates hodie Taurice viuit. Quomodo verò id contingat commentario suprascripto ad Aphorismum nostrum salutiferum diximus. Nunc ad alias *continuas* febres transeamus.

EXERCITATIO IV.

De Febrium diuisione, Astrorum, & humorum harmonia, ac breuiter cuiusque Febris speciali generatione & typo.

Compendiũ diuisionis Febrium. EST igitur hoc Febrium genus summum quo declaratur quomodo procedat reliquarum omnium generatio, non solùm *continuarum*, & *continentium*, sed etiam earum quæ *nouis circuitibus* nouam febrem facere videntur *intermissione* data, vel minori *calore* solum *remisso*, vel maiori eo omnino ad statum naturalem contemperato per *infebricitationem*, vt in iis contingit febribus, quas *intermittẽtes*, & *interpolatas* nominamus.

Licet verò vno eo denique modo oriantur; per *coagulatum videlicet extra proprios fines cum sero sanguinem in anastomosibus*, nihilominus differunt ratione *durationis* quo aliæ recurrere solent, hæcque rursus, vel certo interuallo, vel incerto constituto ratione *causæ* etiam, & *partium*. Omnes autem priores differentias ex doctrina Galeni propriis Libris de Febr. differ. explicuisse videtur non solum Mauritanorum Medicorum princeps Auicenna, sed etiam è Neotericis doctissimus Leonhardus Fuchsius, & elegantissimus Ioannes Fernelius. Posteriorem verò illam circa affectas partes nullus meâ quidem sententià rectè videtur examinasse. Circa istam diuisionem igitur nostra diffluet oratio.

Causa omnium Febriũ in genere.

Febrium differentiæ.

Cùm enim coagulationem in febre pleuritica fieri plenissima demonstratione in iis venis & arteriis quæ ad circumferentiam corporis accedunt ostenderimus, ab externo potissimum spiritu mercuriali *Febrem* hanc *externam* appellabimus cum ab externo adueniente nos ambiente mercurio producatur. Quia pariter mercurius inest etiam mixtioni succorum per nostrum corpus oberrantium, ac poros eius συμπνόους, ipsosque patentes œsophagi, ac venarum quinetiam & arteriarum ex corde ductus, sæpissimè peruadit, ibíque in interioribus venarum, & arteriarum anastomosibus coagulationes in disposita materia excitat, ac refluxum sanguinis inducit, commotis humoribus ab aliquâ earum causarum quas è rebus nõ naturalibus traximus, vel ab Astrorũ influxibus; ideò illas omnes febres *internas* appellabimus.

Febris externa quæ?

Febris interna quæ?

bimus. Quoniam denique sæpissimè contingit, vt exteriùs & interiùs agat simul, & semel illę coagulans spiritus; hac de causa nos tertiam differentiam constituentes *mixtam* ex interna externaque febre constituemus.

Febris mixta.

De Astrorũ influxibus.

Priusquam autem de aliqua prædictarum febrium dicamus operæ pretium fuerit, *Quos motus in humoribus efficiant Astra, & quibus modis* explicare, vt his intellectis reliqua faciliùs intelligi queant. Scripsimus siquidem suprà de igne & mercurio, primum cum Sole, alterum cum planeta Mercurio consentire: Et Pentagoni Vniu. Radio 3. harmoniam Planetarum, & Elementorum in Macrocosmo, & Microcosmo aperuimus: Quinetiam libro nostro Epidemiωn de Lue pestifera differentes ostendimus commotiones vehementiores esse in corporibus, dum Mercurius planeta cis terram versatur. i. secundùm Ptolemaicos dum motu retrogrado circa Solem flectitur, quàm dum ad Apogæum tendens terram mediante magno illo vniuersi, lumine conspicatur; ita vt sæpissimè impetu Astrali concitata *mercurialis sanguinis pars*; consentiente vi speciali natalitij thematis per directiones, profectiones, transitus, &c. recurrat per arterias in ipsum cor, ac nisi validiore vi spiritus ignei repellatur ibi calorem illius, & vitam suffocet, quod accidit, non ex serto bubone, vel anthrace, vel pustulis, &c. vt in peste & malignis febribus videre est. Eodem Pentag. Radio *Lunam* sali pituitoso, *Martem* excremento bilioso, & *Saturnum* melancholico commotores datos non solùm, sed

Mercurij planetæ influxus.

Lunæ, Martis, & Saturni influentiæ.

etiam

etiam Rad. 5. ſatis ſuperque declarauimus, vt etiam in Aphoriſmis xxv. ſalutiferis, Aphor. 10. cuius hæc ſunt verba Latinè reddita:


Qui humorum naturam exactè noſſe voluerit; Aduertat quo dierum interuallo copioſiùs fluant ſano quidem exiſtente corpore; Etenim Pituita quotidie in ſanguine, Sanguis continuò circulatur, Bilis biduo quæ flaua nominatur, Atra triduo commoueri ſolet, propter diuerſas ſedes Planetarum, quorum alij propiores ſunt, alij remotiores. nam ab eorum radiis harmonicè commouentur. *Motus humorum inueſtigatio.*

Annectam Aphoriſmo appendicem vt tota res meliùs perſpici queat.

Aſtronomis notum eſt Sphæram *Lunæ* terræ propiorem eſſe vt quæ infimum cœlorum, quod ait Poëta, contineat; tantamque vim eius in inferiora teſtatur quotidianus maris æſtus vt duplici quæ ſingulis xxiv. horis accidit, pleumyrâ, & ampoti vt nullus mirari præterea debeat, quod idem in ſale microcoſmico mobiliori fiat. *Maris æſtus.* Qui ex Copernici hypotheſibus *terram* epicyclo Lunari circumſeptam, inter ſphæram Veneris, & Martis collocarunt, hi *Martem* ſecundum à Luna in terreſtria influentem conſtituerunt à ſuperioribus, *Saturnum* verò ſupremum ſummumque, licet interpoſito Ioue ſtabilierunt; *Syſtema mũdi ſecundùm Copernicum.* *Quibus* verò *interuallis*, & *dimenſionibus* qui noſſe cupiet adeat Lansbergij commentationes in menſuram Sphærarum cæleſtium, & de vero primi cœli *Dimenſiones Planetarum inter ſe.*

typo; hîc enim & in Vranometria illa accuratè prosequutus est. Nos hoc loco tantùm optamus vt quilibet etiam ille qui Geometriam, & Astronomiam à limine salutauit capiat, eandem esse rationem trium illorum Planetarum *Lunæ*, *Martis*, & *Saturni* ad *Pituitam*, *Bilem*, & *Melancholiam*, qualem *trium ignium* in diuersis spatiis, Lineis tamẽ parallelis constitutorum; ita vt primus A, notetur, alter B. tertius C. ad *tres Globulos cereos*, eiusdem magnitudinis in alia linea prædictis parallela, dato etiam alio interuallo constitutorum, quorum primus dicatur D. oppositus igni A. secundus E. oppositus igni B. tertius F. oppositus igni C. vt manifestum est hoc paradeigmate.

Exemplo rei tota explicatur.



Demonstratio perspicua.

Dico quòd minori temporis spatio liquabitur globulus D. quàm globulus E, & globulus E, quam globulus F, propter diuersam distantiam A ad D, B. ad E, C. denique ad F. maximam. Ita enim sal pituitosus minori tempore mouetur à Luna quæ propior illa est terræ; maiori bilis cum Marte concordans propter oleosum, cuius etiam Venus est domina (vterque enim planeta habet vnicam Lunam intermediam,) denique cùm Saturnus habeat maximum interuallum trium interpositorum planetarum, licet mercurialis pars à Mercurio, duobus tan-

tùm

tùm interiectis planetis vicino commoueri incipiat, agere solùm potest in melancholicum humorem duplicis temporis ad Lunam proportione, ita vt quod ex Aphorismo colligitur Luna quotidie phlegma, siue horis XXIV. Mars horis XLVIII. bilem, siue duobus diebus; Saturnus horis LXXII. siue tertio quoque die melancholicum succum mouere valeat. Et hæc nobis de ratione planetarum ad humores dicenda videbantur.

Temporis quantitas in motu cuiuslibet humoris.

Nunc ad ea quæ Febrium diuisionem sequuntur redeamus ac illius quæ *Externa* à nobis appellata est species contemplemur. Quemadmodum enim in Pleuritide coagulationem fieri demonstrauimus, præsertim in his anastomosibus quæ in vasorum intercostalium combinationibus reperiuntur, ita etiam id accidere reliquis oscillorum coniunctionibus in *tota corporis circumferentia* docere proposuimus. Vbi enim aliquis, vel sudore diffluente ab immodico exercitio, aut alia quapiam causa assumit aquæ frigidæ cyathum, dum calor igneus cordis vibrat maiorem partem radiorum suorum in eas ventris partes, in quibus frigidum reperitur, ventriculum puta, intestina, ipsasque venas lacteas; (statim enim liquida corporis meatus istos præterlabuntur,) contingit vt *deserant* aliquo modo *externas corporis partes* sudore perfusas, vnde seri beneficio, si sanguis tantisper cacochymiâ laboret præualente maximè salsâ & aqueâ parte, succedit coagulatio cum frigore cuius sensum quidam Medici tribuunt pannicu-lo carnoso, & ab eo febris: Nam expulso ab assumpta aqua-

Externæ Febris species.

Exemplum ab experientia.

Frigus quomodo contingat in febribus.

Febris externa generatio.

aqua frigore per concoctionem, naturales, & ignei radij ad officia circulatoria validiùs recurrunt, sed obstructos ductus, quibus via fit ab arteriis in venas, reperientes, calor augetur, sanguis refluit, & cætera symptomata succedunt, de quibus superiùs disseruimus. Quod si minor sit cacochymia quæ possit retinere mercurium coagulantem contra ignem naturæ stantem, vt in sanguine serosâ tantum parte superfluo contingit, fit *Ephemera febris* sic dicta quod vnico die soluatur, vt accidit per sudores, ac per vrinas potissimum, certis huiusce nostri λογισμοῦ testibus. Hæc omnia abundè confirmari possunt duabus curationibus quæ extant apud Amatum Lusitanum prima scilicet cent. 4. num. 75. Altera n. 81. cent. 5. Frigus autem id efficere potest si valens sit nullo interno accidente in poris apertis diffluentibus sero, & æstuante à calore solis sanguine, ac aqueo extra vasa sic deiecto, si sequatur secessus ad locum frigidum; sed eadem planè ratione, quod etiam colliges ex 99. curatione centuriæ tertiæ. Hac de causa etiam rectè Galenus Aërem ambientem causam earum esse voluit lib. 10. Meth. vbi extant hæc eius verba verè aurea cap. 2. *Frigiditas, & adstringentium vsus per mediam stipationem febrem semper excitant.* Si autem maior cacochymia vt salsa quæ fixa magis, & mercurio retinendo aptior, siue sal mixtus ex pituitosis, biliosis & melancholicis, tunc profectò cùm potentior sit, obsidionem longiorem efficit, vnde & febres illæ generantur, quas συνόχους πυρετοὺς, τῷ ἑλληνικῷ μὲν ὀνόματι χρώμενοι nominarũt quidam

Ephemera Febris. (margin)

Synochis. (margin)

Medici

Medici, inquit Galenus lib.9.Meth.cap.2.in quibus vna acceſſio ab initio ad finem manens in multos dies porrigitur, vt ibidem ſcriptum legitur ſine intermiſſione: Illa tamen ita diſtinguitur, vt aliquando eodem vigore à principio ad finem durans πυρετὸς σύνοχος ἀκμαστικός, vel ὁμότονος nominetur; ſi ex leuibus principiis ad maius incrementum aſcendat ἀναβατικός, ſiue ἐπακμαστικός; contra denique ſi ſeſim vim deponat παρακμαστικός. Fuchſius σύνοχον *continentem* Latinè, & propriè nominare ſibi licere putat lib.3.ſect.1.cap.10.Inſtit. Cùm verò ſubiungatur à Galeno, & quidem ſecundùm experientiam; quod eiuſcemodi συνόχων τινὲς μὲν ἐναργὲς ἔχουσι τὸ τῆς σήψεως σημεῖον ἔνιοι δὲ οὐδ᾽ ὅλως, ideò ad primam ibi deſignatam earum, quæ putredinis ſigna habentes *Synochi putres* appellantur, iſtas febres, de quibus nunc ſcribimus, pertinere contendimus; quia contracta illa eſt putredo ab aſſumptis mali ſucci. Vbi autem ſanguine ab alimentis optimis generato plurimo multitudine ſola opprimente, noua ſeri extrauaſatio continuò inducitur, ac inde coagulatio, hanc ad alteram ſpeciem quæ ſine manifeſto ſigno putredinis *non putris* appellatur, pertinere aſſerimus: Et de talibus poſtremis ſapienter à Galeno additum, has eſſe ἐκ τοῦ γένους τῶν ἐφημέρων πυρετῶν. Hæc omnia ſufficienter probantur centuriæ 7. curatione 91. apud Amatum, ad quem breuitati ſtudentes, lectorem remittimus; quemadmodum etiam ad hiſtorias illas à Galeno traditas libro 9.Meth. cap.4. ex quibus rei totius veritatem optimè percipiet; & quia in ea quæ

Eius ſpecies.

Continens febris.

Synochi putres.

Synochus nō putris.

secundo loco ponitur à labore balneum successisse dicitur, est quod moneamus eandē *vim coagulantē* induci ab *aqua frigida* qualē *ab aëre* notauimus, propter mercurij, & aquæ familiarem, & sympatheticā naturam. Sed ne ab iis quæ superiùs tradita sunt longiùs aberremus, dicimus quòd quemadmodū aqua frigida, terra frigida (si quis decūbat,) & similia sunt aëri frigido analoga; Ita cyatho assumptæ aquæ frigidæ proportione respondet quicquid vocare potest per accidens calorem vitalem è corde, in ventriculum, aut inferiora viscera vt expellatur siue cibus dyspeptus, siue pituitæ, siue bilis flauæ, siue atræ exundans copia è quibus fiunt *febres intermittentes*: Latet enim in cuniculis corporis in quibus non expurgatur sæpe humorum eiuscemodi superfluorum saburra, obstructis conuenientibus excretionis viis, aut auctâ ciborum corruptioni obnoxiorum assumptione; ac tandem ex illis congeritur in ventriculum, ibique tamdiu restagnat, donec in eum cumulum assurgat, qui excitatus à *vi astrali* influente *efferuescat*, atque replens ventriculum molestiam hanc inducat vitali spiritui continuò per combinationes ramorum arteriæ cœliacæ, & venæ portæ transeuntis, vt iis arctatis viis per distensionem membranarum cogatur copiosior affluere è cordis ventriculo sinistro, ac vniuersis aliis locis remotioribus in quibus irradiat per combinationem arteriarum, vt sibi viam liberam sternat, & sanguini circulatoriè se mouenti, extrudat & è corpore eliminet modis supra dictis, quicquid huic nobili, & naturali œconomię opponitur

Vis coagulās ab aqua.

Cyatho aquæ frigidæ in febris generatione analoga.

Febres intermittētes.

Earum generatio.

tur per vim ſpiritus alieni mercurialis. Hinc igitur contingere ſolet vt ante acceſſiones *quartanæ* & *quotidianæ* διάψυξις præcedat, quod obſeruat Galenus 2. de criſibus cap. 4. & 5. propter materiam vehementer calori natiuo obſiſtentem in ſale, & mercurio: inde etiam ſequi ſolet vt diutiùs *calor febrilis* ſuccedens duret. Cùm enim ſpiritus igneus cordis longiorem moram extra corporis peripheriam traxerit, contingit vt faciliùs, & altiùs ſe inſinuet in ſanguinis ſerum ſpiritus ambientis aëris coagulans, ac dum conſequutus eſt victoriam aduerſus inteſtinum humorem opprimentem per exturbationem eius extra ventriculum & proximas hepatis vias, recurrit ad deſerta loca in quibus nouiſſimè congreditur cum mercurio coagulante, quem fugat nouâ victoriâ in declinatione paroxyſmi. Quia verò humores bilioſi efferi, in iis temperamentis, quæ febre *tertianâ* laborant, non tantam vim caloris expetunt, cùm ſint facilè mobiles, & oleoſo ſuo quodammodo iuuent accedentes ſpiritus; quinetiam cùm ſanguinem eiuſdem in his naturis κράσεως ſemper illectum multo oleoſo non ita facilè relinquat igneum πνεῦμα; ideò contingit, vt accedente quaſi ex inſidiis mercurio, ac reſiſtente eo ipſo calido fiat *rigor* ante coagulationem, & in coagulatione, ipſo eodem ibidem notante Galeno cap. 3. contremiſcente, & concuſsâ membranâ carnoſâ, ~~ſiue~~ adiposâ, quæ cuti ſubiicitur in eo motu qui à ſpiritibus excitatur circa vaſa; hincq; in tertianis febribus breuiores ſunt paroxyſmi, quàm in quartanis, & quotidianis. *Feruere* verò humo

Quartana, & Quotidiana.

Cauſæ diapſyxeos, quã calor ſequitur.

Tertiana febris.

Rigoris cauſa.

Ferueris humorum conjecturæ.

humores ex eo coniicies quòd notante Galeno loco cit. cum Auicenna 4. canonis cap. 37. tract. 2. vomitus bilis accedat incipiente rigore tertianarum; os ventriculi in quotidianis afficiatur; præcordia intumescant in quartanis, quod quidem in me ipso anno 1637. expertus sum; ἔκκρισιν autem, quòd paulò ante calorem deiiciendi cupiditas per intestina, vel per vesicam vrgeat, atque etiam in biliosis per vomitum. *Fugari Mercurium* denique vltimâ victoriâ, quòd accedat sudor, aut cum diaphoretica transpiratione copiosæ vrinæ profluuium. Hæ igitur omnes febres meritò *Externæ* à nobis possunt appellari, cùm à coagulate *spiritu externo* fiant in externa *facie corporis* occupatis anastomosibus vasorũ quibus illa irrigari consueuit, quemadmodũ & illæ quæ *quouis typo* intermittunt, siue nomine *duplicis tertianæ, quotidianæ, &c.* insigniãtur. Nec tamen hoc loco omittere decreui quod ego ratione, & experiẽtia ducibus aliquãdo cogitaui, nullam sc. dari posse *duplicem tertianam veram* .i. ex bile pura, cum bilis excitetur solùm duorum dierum spatio vt suprà demonstrauimus, notham verò posse fieri arbitramur admixtione pituitæ quam Luna mouet quotidie. Sic nec *puram quartanam, duplicem, triplicem*, &c. At quid hîc de nominibus, dummodo rerum exacta nobis innotescat expositio?

Fuga mercurij quibus significetur.

Cur externæ dicantur hæ febres?

Aliæ intermittentium febrium species.

De febre duplici tertiana annotatio.

Quartana duplex, &c.

Ad *Internas febres* pertinent *Symptomaticæ* vulgò dictæ, quæ internas inflammationes comitantur. Contingit siquidem, vt copiosissimus, & feruidissimus sanguis commotus à quocumque motu, siue ab

Internæ febres.

Symptomaticæ febres.

astris,

astris, quorum vires in actum per directiones, profectiones, transitus, &c. modis supra designatis reducuntur, siue à rerum non naturalium immoderatione, extra vasa *internas partes* alluentia efferatur, vel saltem pars eius serosa & salsa, quæ ab *interno mercurio*, quem aër fouet attractus, ceu in flatibus videre est, vt sequatur eadem coagulatio, qualis in sapone ex lixiuio sale saturato, admixtione olei: Quemadmodum enim illa congelantur extra ignem ab agitatione seposita, ita serosa pars sanguinis, & salsa oleo bilioso excepta coalescit. Hoc ego in plerisque febre continuâ laborantibus cum inflammatione mesenterij animaduerti, præsertim in istius vrbis mercatore quodam, patriâ nihilominus Occitano qui licet multoties purgatus à misso sanguine deiecit post xxi. diem, iteratis leuioribus, electiuè tamen vt vocant purgantibus multa flaua *coctis ouorum vitellis similia*, fœtida per dies plurimas, à quibus febre liberatus est: & in filio nobilissimi cuiusdam, & ditissimi viri Delphinatis post xiv. in quo inflammati hepatis signa omnia apparuerunt, qui ab eiectis eiuscemodi *vitellinis* recrementis conualuit, aliisque multis hodie superstitibus.

Flatuum consideratio.

Egregia cōparatio ab experimētō.

Authoris obseruationes raræ.

Quinetiam sæpissimè *lapides* adiuncti sunt eis, nec nisi illis separatis conuenienti purgatione præscripta per intestina, febris recedit, vt omnes adstantes summâ cum admiratione viderunt me prædicente in D. Parie viro optimo profectò, qui cum ab alio medico per multas septimanas, multa incassum assumpsisset remedia, dum in villam suam quasi

Lapides causæ Febrium.

omnibus auxiliis destitutus relegatus esset, à me D.D. R. C. F. percuratus est vnicâ hebdomade, in qua epotis à me descriptis euacuantibus pharmacis deiecit post multas eiuscemodi bilis vitellinæ partes subuirides, & adiposas moles hoc modo coagulatas, *Lapidem*, Bezoardicis illis qui ab Occiduis insulis ad nos deferri solent colore, & substantia non admodum dissimilem, pondere ferè drachmarum trium cum tartareis sabulosisque plurimis, à quibus reiectis febris statim recessit. Illa enim pars salsa vt dixi in anastomωsibus arteriæ cœliacæ, & portæ venæ coagulata motum sanguinis impedit, vnde refluxus, retentio copiosi seri & acris quod solet effluere in intestina, vt dictum est in principio; calor ad tactum circa abdomen, & hypochondria vehemens, præsertim ad eum locum qui magis afficitur, siue hepatis, siue lienis respiciat regionem. Hæc autem contingunt ferè *scabie repercusŝâ* in intima corporis, siquidem familiari consuetudine cum mercurio contractâ, dum relabitur per arterias in corporis sentinam, sal eius excipitur facilè à bile oleosa; quod ego nuperrimè obseruaui in puello sartoris cuiusdam vicini mei, & quod anno iam tertio exacto in cuiusdam procuratoris forensis filio, notaueram, qui per XXXIII. dies febre, & continuo delirio detentus exsiccata scabie, quâ totum corpus fœdabatur hyemis aduentu, tandem excreuit post vitellina iam notata assumpto medicamento cholagogo purulenti humoris non exiguam quantitatem; à deiectione meliùs habuit postea, & subinde sanus factus est.

Symptomata internarum febriũ.

Scabiem repercussam, quæ sequantur incommoda.

Obseruatiodns Authors notatu iignissimæ.

Dyſenteri-corum febris.

Eius generis eſt *febris dyſentericorum*; Eorum verò qui *peripneumoniam*, vel *phrenitim* patiuntur febris in eo tantùm differt, quòd in illis coagulatio facta ſit in anaſtomωſibus venæ arterioſæ,& arteriæ venoſæ,in his autem ad oſcilla carotidis, & internæ iugularis: vnde peripneumonicorum os ſaporem tetrum, & carbonibus ſimilem reddit, vt in hiſtoria Andreæ Galli Medici celeberrimi notat eruditiſſimus Matthiolus comment. ad Librum 5. Dioſcoridis cap.59. calore intenſiſſimo excurrente à venæ arterioſæ tubulo.Et phrenitici chamæmelino oleo,admixto roſaceo cum aceto; quæ mixta omnia ſanguinem coagulatum diſſoluunt, irrigato capite liberantur, vt notat Practicus famigeratiſſimus Donatus ab Altomari allata curatione illuſtris Piccolhominei Ducis Almaſiæ filij à cæteris medicis deſtituti, cap. 6. de medendis humani corp.malis.

Peripneumonia, Phrenitis in conſiderationem vocata.

Mixta febris. Syneches. Continua.

Ad externam porrò, & internam febrem pertinet Continua quælibet febris πυρετὸς συνεχὴς Gr. dicta; ſiue bilioſa frequentiſſima,ſiue pituitoſa, ſiue melancholica,vt etiam maligna & peſtifera. Primò enim *continuas* febres coagulationem *externam* ſuſtinere demonſtrabimus ex eo quòd iungatur illis ſynochus putris continuò, & quod habeant quoſdam motus intermittentium, licet non deueniat illarum vigor in ἀπυρεξίαν; tamen ſtatæ illæ certo tempore recurrentes reduplicationes ſatis oſtendunt humores ab Aſtris commotos, eaſdem motuũ imagines quæ in interpolatis manifeſtæ ſunt repræſentare.*Internam* verò ſuſcipere, ingens præcordio-

Externæ coagulationis coniecturæ.

Internæ coagulationis nota.

rum.

rum inflammatio satis denotat, quæ in continuis tertianis molesta est: vnde rectè *tertianam continuam* eandem esse ferè cum *causone* sentit Amatus Lusitanus in scholio ad curat.78. centur.1. *Causonem* etiam *à phlegmate*, *quotidianæ continuæ* non valdè dissimilem docet Auicenna lib.4.fen.1.tract.2.cap.40. Eius verò vt legimus sequenti cap. 41. calor in interioribus, quàm exterioribus est valentior, quod confirmat id quod asserimus. De Melancholicis, quòd idem pluribus argumentis demonstrare conemur nulla iubet necessitas, cum illa quæ pluribus eiusdem speciei conuenire dicuntur, toti speciei competant ex doctrina merè Logica. Si quis autem id auidiùs expostulet adeat Galenum 1. ad Glauconem cap. 11. qui quartanam continuam lethalem affirmat, quod vix accideret, nisi summum incendium in turbata totius naturæ œconomia excitaretur. Non aliâ ratione igitur illæ *continuæ febres generantur*, quàm eâ quâ febres intermittentes commoueri diximus; sed cùm sanguis vniuersus cacochymiâ sit infectus, vbi (eo modo quem superiùs indicauimus) spiritus irradians igneus conatur deserta extrema repetere, inuenit mercurium occupantem, haud absimili viâ, ab ea quæ de putris synochi generatione demonstrata est, ac *intra & extra* conatur illum aggredi. Nihil autem mirum esse debet si dum astra commouentia vrgent, illa reduplicatio sit à Græcis παρόξυσμὸς summâ emphasi nominata; & si æqualis ille motus, licet celer synochi, longè à paroxysmo, prædicto, παρακμὴ tolerabiliter appelletur: nam vbi spiritus

Tertiana continua.
Causon.
Quotidiana continua.
Continuarũ febrium generatio.
Paroxysmus
Parakme.

cordis

cordis vitalis *à fronte & à tergo*, se expedire conatur ab infestante mercurio *extra & intra* acceleratur sanguinis circularis affluxus, omnes functiones perturbantur in iis præsertim locis in quibus valentior se exerit vis mercurialis. Idem in *febre maligna* ferè solet fieri, cùm ab influxu generali, de quo Tractatu de lue pestiferâ diximus, *mercurius* potentior, & malignior *martiis*, *aut saturninis substantiis admixtus* insinuat se ad corpora, quorum humores particularibus syderum effectibus commouentur; irruit enim adeò potenter per externos, & patentes cutis poros, vt etiam per asperæ arteriæ, & ipsius œsophagi tubulos, vt concutiatur validissimè *vitalis spiritus*, qui adeò vehementer concitatur, vt deponens sarcinam humoralem, cui se insinuauit vel per vomitum, vel per sudores, aut sæpe per anthracem, bubonem, & maculas puncticulares statim se exoneret: Aut succumbens cedat vincenti inimico opprimenti, & suffocanti, vnde mors subitanea, magis tamen, aut minus secundùm vehementiam irruentis maligni spiritus. Coagulatio igitur fit *intra & extra* in venis arteriæ cœliacæ combinatis, & anastomωsibus vasorum pulmonis, quemadmodum in iis quæ ambiunt externam corporis regionem. Et hæc de præcipuis febrium generibus dicta sint ad quas aliæ quælibet facilè referri possunt. Vt enim varias interpolatarum remittentium, & oberrantium incerti motus ideas omittamus, locum suum, etiam iis qui minùs acutè vident per se indicantium, illa quæ speciali nomine ἠπίαλος πυρετὸς, Galeno dicitur 2. de diff. febrium cap. 6.

Febris maligna.

Febris epiala.

cap. 6. quando quis febricitat ſimul & riget, vnde nomen contraxit Paulo ſcribente lib. 2. παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, ὅπερ ἐστι θερμαίνειν non multùm differt à quotidianis febribus cùm eandem curam recipiat, teſtis eſt idem Paulus lib. eodem cap. 25. At quam Galenus cap. 8. libri de inæquali intemperie *Lipyrian* nominat ad eas febres quæ ab internis inflammationibus oriuntur pertinet de quibus ſupra diximus. Id confirmat Galenus Aph. 4. comm. 48. cuius verba tibi legenti ſatisfacient. Supereſt vt de *hectica* febre aliquid dicamus; nam illa etiam è præcedentibus febribus oritur Galeno obſeruante lib. 2. de criſ. cap. vlt. & reuera fit inflammatis internis partibus iis præſertim quæ naturali facultati famulantur, vt ſunt *lactea venæ* de quibus diximus: Excurrente enim per cœliacæ arteriæ ramos vt etiam per eos venæ portæ qui illis combinantur continuo, arctantur viæ, cùm ea liquidarũ ſuccorum copia vix transferri poſſit quæ ſoluendo ſanguinis ſali neceſſaria eſt, vnde contingit vt impurior factus dum circulatur in vẽtriculis cordis, ſtatim reiiciatur; hinc celeritas pulſus: At cùm pauco oleoſo ſit præditum, non copioſo ſuccedente alimento, *paruos pulſus*, & non turgidam diaſtolen excitet. Quin etiam *continua æqualitas* adeſt, quia cùm reperta ſit æqualiter valida vis mercurij, & ignis naturæ, *fortiaque* fuerint *vaſorum extrema*, conſuetudine remiſſa eſt adeò pugna, vt nec inuaſio, nec acceſſio, nec incrementum, nec vigor, nec remiſſio percipiatur ab ægro, qui nec ſe febricitare putet dicente Galeno lib. 3. de

Febris Lipyria.

Febris Hectica.

Eius Generationis noua ratio.

Ratio Symptomatum Febris hectica.

de præſag. pulſ. cap.de arteriis cordis. Quod autem ex *affectione lactearum venarum* oriatur colliges facilè ex iis quæ narrat Gal.lib.1.de diff. febr.cap.9.in fine: Notabis enim & *inflammationem laxioris inteſtini* ſequutam fuiſſe diuturnum malum. 2. ex *ſtomachi, veſicæ, & renum affectibus* oriri. 3. à *dyſenteria* quòd ſcil. addit ille, inteſtina inflammatione laborent. 4. ex *leuitate inteſtinorum* vt longo profluuio; quod etiam obſeruauimus in illuſtriſſima quadam Religioſa, & in muliere Sanlaurentiana, aliiſque quamplurimis hecticâ febre laborantibus. Hoc etiam quod *indubitatum ſignum* Gal.appellat cap. 9. lib. 1. de diff. febr. confirmat venas lacteas affici in hac febre; Si enim, « inquit, cibum homini obtuleris eo tempore quo « maximè omnes horas ſubterfugiſſe videtur, ſtatim « hora vna, aut duabus ab accepto cibo, quicumque « ægrotantem tetigerint, alteram febris acceſſionem « opinabuntur: Item ſi diuerſo tempore cibum illi « obtuleris, caliditatem ex cibo adauctam ſenties ac « pulſus alteratos. Ignis naturæ ſiquidē dum à corde, « deſtitutus oleoſo pabulo molitur nouam & naturalem per conſuetos canales attractionem diſtendendo lacteas venas plurimùm occupatur; extrema mercurius occupat, licet enim in exſucco & exſiccato corpore conſtrictis poris iter vix inueniat, inſidet tamen excrementis plurimis ad nutritionem ineptis, per ea loca fluctuantibus, à quibus nouo redeunte ad cor copioſiori calore expellitur: hinc caloris augmentum; dum interea alimentorum maior pars, quæ trahi non potuit in hepar per la-

Ab affectis lacteis venis hecticam fieri probatur.

Indubitatū Febris Hecticæ ſignū.

Ratio huius ſigni.

ctea vaſa ſoluta à proprio humore aduentitio continuò, meſeraicarum, & cœliacæ oſcillis ad anum profluit, vt ſuprà annotatum eſt. Et hæc breuiter de *hiſtoria cuiuſque febris compendiaria*, quod ad *Theoriam* attinet, & geneſin Phyſiologicã; Pathologicã ſpecialem, ſingulari ad quaſlibet Exercitatione. Secundâ parte aliquando Deo bene volente proſequamur. Interea generalia quædam exponamus *ad leges Pentagoni noſtri noſologici particularis* pertinentia, de quibus vt nunc dicamus locus poſtulat, Ad ea igitur nos accingamus.

Concluſio horũ Theorematum.

EXERCITATIO V.

In qua methodus generalis Febrium ad leges Pentagoni noſologici inſtituitur breuiter, & dubia plurima explicantur.

Pentagoni ab Authore conſtructi mira vtilitas.

Diximus initio *Pentag. noſtri particularis* in curatione cuiuſque affectus, *quinque* ſufficere: Nobis illa repetere moleſtum, nec vtile iis quos laboris illius prioris lectio delectauerit. Qui non legerit adeat librum, & videbit hîc praxim compendioſam eorum præceptorum quæ fuſiùs tradere ad ἀνάμνησιν medicam conati ſumus.

A nomine igitur initium facientes ex hac noſtra præcedente doctrina, non ſine ratione exiſtimamus Hebræis

Febris etymon.

Hebræis febris duplex ſynonymum deduci à duobus verbis, quæ *accendere*, aut *ardere* ſignificant. Primum enim quo dicitur Leuit.26. v.16. קַדַּחַת deriua- *Hebraica nomina quibus febris ſignificatur.*
tur à radice קָדַח *conflagrauit, accenſus fuit* : Alterum quod extat c.28. Deuteronomij דַּלֶּקֶת, fit à דָּלַק *arſit, accenſus fuit* : Nam & Græci illi veteres ἀπὸ τῦ πυρὸς *Nomina Græca.*
πυρετὸν, nomen quo Febris deſignatur deduxerunt. Sic enim Galenus in librum Hippocratis de Tract. πυρετὸς ἀπὸ τῦ πυρὸς ὠνόμασαι, ἐστὶ τῦτ᾽ ἐστιν αὐτῷ τῷ πυρετῷ ΕΙΝΑΙ, τὸ θερμασίαν ἔχειν καπνώδη.i. *Pyretos* Latinè Febris (apo tou pyros) *ab igne nominatur,* *Locus Galeni.*
ídque eſt febris ESSE *calorem habere fumoſum*. Et Latini *Febrem*, teſte Seruio à verbo *feruere*, vel *ferbere* dixerũt, *Latini nominis explicatio.*
vt notat Ioſephus Scaliger ad lib. 2. Varronis de re Ruſtica not.73. vt illud quod ex Galeno allatum eſt cõfirmetur. Eadem ratione *Calentura* Hiſpanis appellatur. Vetus Germanorum lingua idem κατ᾽ ἀντίφρασιν indicat. Illis enim Febris *Kaltwehe* dicitur.i. *Nomina quibus febris hodie apud Europeos indicari conſueuerit.*
frigida miſeria; *Kalt* enim frigidus, & voce *wehe* miſeria ſignificatur. Niſi fortè priſci illi nomenclatores qui idiomati initium dedere, Patriarcharum Theodidactων ſeculis viciniores, veram originem febris agnoſcentes, præuiderint malum hoc procedere *à mercurio frigido*, vt ſuprà docuimus. Et profecto ſilere non poſſum, quod ſecundo illo ex Hebræis *Myſtica nominis Hebraici expoſitio:*
allato vocabulo, myſterium generationis Febrium altiùs inquirentibus reuelatur. Nã ceu rectè ſcribit R. Sal. Pſ. 7. v.14. כל דליקה לשון רדיפה הוא .i. verbum דָּלַק ſemper ſignificat *perſecutionem* ſic enim Gen.31. v.36. כי דלקת אחרי .i. quòd *feruidè inſe-*

ctatus es me:nam calor igneus cordis feruidè insecta-
tur mercurium, qui frigidè eum per latebras poro-
rum, & anastomωseωn insequitur, & si cabalisticè
magis arcana nominum requiras, inuenies id circu-
lariter in circulo, aut circulatione humorum con-
Cabalistica horum nominum consideratio. tingere, nam ק littera quæ in vtraque dictione
Hebraïca reperitur à *circulo* nomen trahit; nam קוף
circuire est Bellarmino Instit. Ling. Hebraïcæ part. 1.
cap. 1. saltem קוף affine est verbo יקף Hiph. הקיף *cir-
cumdedit, circumegit* apud Iobum scriptorem He-
bręum vetustissimum cap. 19. v. 6. Ex etymo igitur il-
lorum nominum innotescit *calor diffusus per vniuer-
sum corpus* p. n. Deinde *persecutio & conflictus spiritus
ignei* cum *externo frigido*, à quo actionis vitalis, *pulsus*
scilicet *noxa*. Primum symptoma ad simplices affe-
ctiones, secundum ad læsas actiones, dum deprauan-
tur, pertinet: illa iam nominauimus supra Exercit. 3.
Consectarium illorum duorum quod tertio loco à
nobis positum est ibidem *grauitas*, scilicet *corporis*.

Symptomata febris è nominum cognitione deducta.

Morbi genus in febribus. A quibus omnibus vitalis *spiritus oppressio* necessariò
colligitur propter *impedimentum* actionis eius quod
est hîc genus morbi. Neque enim spiritu vitæ exem-
pto ab humano corpore quempiam laborare dixe-
ris; vnde & ille afficitur dum impeditur agens; impe-
ditur porrò dum opprimitur, à mercurio primò,
Morbi genus secundarium. deinde per accidens à sanguine refluente. *Organa* se-
cundariò afficiuntur præsertim huic inseruientia,
cor, arteriæ, &c. de quibus exercitatione primâ di-
ctum est, Anastomωses enim obductę, constricti po-
ri, dilatata minus arteria & vena sunt morbi organici
à

à nobis explicati Pentagon. partic. circul. 1. Rad. 5.

Omnia hæc igitur ab *opprimente causa* fiunt. Aërem crassiorem habes Circulo 2. Rad. 2. & alia quæ ex superioribus tibi manifestè patere possunt. Prima huc allata capit mercurium coagulantem malignum, qui præcipuè à nobis consideratus est. Prolixior esset quæ cætera vellet expendere curiosiùs oratio, *Generantes* etiam habes fusè descriptas sequenti Radio 3. sub quibus etiam lumbricorum putrefactorum corruptelam notes vt plurimùm febrium productricem, quæ Philologo possint iusti voluminis materiam sufficere. Inter causas mouentes quæsitu dignum est, *Vtrùm spiritus mali possint inducere febres*; neque enim ex vlla historiæ veteris, aut nouæ lectione mihi constat commotam fuisse febrem in energumenis, præter hecticam, quam febrem multis nominibus à legitimis & genericis febrium finibus expunximus, cùm in frigido consistere videatur magis quàm in calido; Adde quod ij ferè morbi qui à dæmonibus excitantur, facultatis animalis & naturalis actiones, vulgò lædunt, vt Epilepsiæ, conuulsiones, paralyses, deliria, vomitus, dolores, &c. rarò vitales. Audiuimus enim nuperrimè, in quadam illustri muliere, quæ à Dæmone oppressa habetur, ecstasim adesse sine manifesta mutatione pulsus, etiam dum à paroxysmo redit: item quod vix calefacere possint corpus spiritus illi maligni quibus ne à Deo quidem permittitur in assumptis cadaueribus calorem natiuum adumbrare, cùm ipsa tactui semper horrida & frigida exhibeatur, obseruante Cardano 16. de rerum

Causæ febrium.

De Dæmonum actione obseruatio.

Historia.

Dæmonum frigus. variet. cap.93. & Alex.ab Alexandro Genial.dierum lib. 3. cap.9. Quinimò author est Eminentissimus Cardinalis Caietanus in 2.2.q.95. a.2. cuidam de hoc horrore, & frigore corporis conquerenti dæmonem respondisse, *se non posse melius facere*. Adiungere possemus etiam alia, quæ reiici debent in Commentarium nostrum *de natura bonorum & malorum spirituum* ex orthodoxa fide, historica veritate, & obseruatione physica aliis tractatibus annectendum si DEVS concesserit. *Quomodo febres à Dæmonibus possint induci.* Tamen cùm à spiritu mercuriali coagulationes fieri demonstrauerimus, eúmque febrium esse causam accidentalem; idem etiam & de Dæmonibus dicendum existimamus, quos nec socios caloris vitalis esse posse putamus vt febres in corporibus per se moueant, eosque ideo raro adiunctos huius ignei spiritus canalibus, quod voluntate naturâ suâ quemadmodum animalia moueantur, eosque ideò fugiant, & odio quodam ab eo auertantur noctambuli tenebriones, & lucifugi Angeli, ignis *Astrales causæ Febrium.* æterni calore cruciandi. De *causis astralibus* etsi multa superiùs dicta sint, id tamen est obseruatione dignum quod Sole nostro Tropico viciniori, & natiuum ignem harmonicè & potenter sic excitante, si Mars & Saturnus coniunctim influant contrarias substantias terræ viciniores, vt ille videlicet oleosa vehementiùs excitet & salsa; hic mercurialia & sale volatili donata, iuuando imbecilliores conatus *Astralis Schematismus febres faciens.* Mercurij planetæ, ex hac *configuratione cœlesti* generari *febres intermittentes* omnis generis in iis regionibus, quæ subiiciuntur signo, in quo fiet coniunctio planetarum

netarum

netarum maleficorum & iis in quibus Sol & Mercurius reperientur. Atque vt rem exemplo fulciamus, anno præcedenti 1640. ab eo tempore quo sub finem Augusti mensis coniungi cœperunt Saturnus & Mars in Aquario retrogradi, Delphinatus pars Viēnensis, & quæ palus magna & Rhodanus, Lugdunensis tractus quem duo coniuncta flumina Arar & Rhodanus alluunt, vt etiam Sebusianorum Prouincia quæ multis stagnis & paludosis nemoribus scatet, eâ ratione Aquario meritò subiecta propter situm Mercurialem, vt patet ex conclusione 5. Artic. 5. lib. 2. Astrolog. R. Campanellæ: Vidit inquam vniuersa hæc regio vbique iacentes homines febribus interpolatis correptos, Lugdunum verò hæc nostra maximè, quam Leonē ascendentem horoscopū habere putant nonnulli, in quo signo tunc versabatur adhuc, habitâ cœli stellati ratione, & constructionis eius, non fictitij Zodiaci, ipsoque adhuc cum stellata Virgine quod fortè primam schematis domum, vt loquuntur, tunc temporis occupauit, hærente. Nec desiit feralis morbus sæuiens stante ferè vtroque planeta malefico per mensem, donec disiungi circa medium Octobrem cœpit morbosa copulatio. Ad loca febrium generalia transeamus.

Authoris recens obseruatio Mathematica.

Lugduni situs.

Cum febris sit impedimentum actionis vitalis spiritus vitæ opprimens, *loca eius conceptiua, exclusiua, perfectiua, & diffusiua*, maximè afficiuntur ex 3. Radio circuli 3. Pentag. Partic. Quæ sint illa quæris? Radium 2. eiusdem circuli sedulò perlege, & quæ de spiritu vitali scripta sunt Rad. 5. Pentag. Vniuersalis.

Partes affectæ in febribus.

Internarum febrium sedes. *Hepar, Lien, pancreas, caput*, sunt sæpissimè *loca in quibus internarum febrium causæ delitescunt*, & vicina eis excretionibus dicata: *Externarum* verò *causas anastomωses* venarum & arteriarum excipiunt quorum numerus & situs apud Anatomicos indefinitus, vno hoc solùm ex logicâ demonstratione innotescente, quòd in extremis capillamentis vasorum extent, siue in membranis, siue in musculis, & aliis carnibus, & mẽbraneis partibus organicis, ac cute, paucæ enim αὐτοψίαν patiuntur ex quibus tamen plurimis veritas reliquarum colligitur. Quandoquidem verò inter *symptomata* simplex affectus *calor* primùm occurrit qui ad sensum tactus pertinet, eius organum cutis hunc exporrigit; *cordis* autem dignitas cùm retineat vitæ spiritum, prima exhibet turbati motus sui ad sensum indicia. Deinde huic consentientes partes *arteriæ* scilicet, quæ cùm mutuâ communione *musculis* iungantur, quid mirum si illa motus instrumenta etiam afficiantur, & grauitate corpus vniuersum prematur?

Loca externarum febrium.

Anastomoses arteriarũ & venarum vbi maximè.

Cor quomodo afficiatur in febribus.

Signa febriũ Morbi. Hæc omnia sua habent *signa* Circulo 4. prædicti Pentag. particularis descripta: *Morbum* enim *symptomata* detegunt: Facultatem vitalem læsam, spiritum eius oppressum pulsus deprauatus, & calor compressus ac intra cancellos arteriarum gemens significat. Examinanda sunt hæc accuratè & logiatro legenda eo loci, (relinquenda cætera,) quemadmodum & quæ 2. Rad. eiusdem circ. de *causarum signis* scripta sũt quibus si dirigat ea quæ superiùs tradita sunt, causas febris cuiuslibet habebit perspectissimas, præsertim

Signa causarum.

tamen

tamen si quod de *humorum motu*, magnum prorsus in medicina arcanum, aperuimus non negligat. *Dolores* sæpissimè *loca febrium* ostendunt, si membranæ afficiantur. In malignis nullum ex *vrinis* certum sumitur indicium, cùm etiam citra cacochymiam massæ sanguineæ oriantur ab irruente miasmate mercuriali saturnino pestifero. At vrinæ à sola fœdantur succorum fœculentia, salsorum terreorum & oleosorum. *Vbi coagulatio facta sit* intelliges ex ægri responsis; si hyems, aut quid aëri frigido analogum *in externis partibus*; si hæc absint, & à nullo excessu in rebus non naturalibus admisso in impuris corporibus natura cacochymis, aut iampridem non expurgatis, vel regnante pestilenti tempestate in internis. *Linea mensalis* quò acutior, eò febrem acutiorem denotat, quia cum toto corpore consentit; vnde scribit Bartholomæus Cocles: Notaui quendam qui mensalem lineam habebat subtilissimam, & tangebat primam iuncturam indicis in interiore parte cum maxima rubedine. Mors sua fuit febris acutissima. Hæc ille cap. 28. lib. 6. Chiromantiæ paruæ.

Signa partiũ affectarum in febribus.

Cur laudabiles vrinæ in malignis febribus?

Vbi sanguis coaguletur.

Obseruatio Chiromantica.

In signis futuri euētus cuiuslibet, hoc obseruatione dignum est, vt annotes quàm *valida* sit *vis mercurij irruentis*: secundò quam *potens constitutio arteriarum*; si enim adeò prima vis sit valida, vt sanguinem cogat ad cor refluere valentiùs, nullisque induciis datis valuulas officio cedere, & permittat refluxum sanguinis à vena arteriosa, & ab arteria magna in cor; vnde *suffocatio & mors*. Inualida etiam *arteriarum*

Signa Prognostica vnde sumantur in febribus.

Signa mortis.

constitutio, cùm ferre non possit violentæ diastoles impetum continuum oscilla seiunguntur, vnde *puncticulares maculæ in morte* ab hoc impetu quæ vulgò *le Tac* nominantur, vt scribit Dionysius Fontanouus de morb. intern. curat. Nam vbi diductorum eiuscemodi vasorum separatio accidit in capite statim sequitur *Apoplexia*; quâ ægri pereunt. Vt autem quâ ratione id fiat distinctiùs intelligas; Cogita eundem esse *impetum*, qui fit *ab excitato mercurio*, accenso puluere pyrio, in catapultæ tubulo, per vim ignis, cum eo qui fit ab igne naturæ in corde per arterias contra externum eundem mercurium, sed febrificem vt sic loquar, à quo coarctato, premente igne quolibet fit vehemens impulsus. Etenim dum liberum iter nancisci nequit, extendit, distrahit, lacerat quæque obuia. Rem non capis? considera quantùm differat motus excitatus ab eadem licet parua mole pulueris pyrij vt dixi sub aliquo fornice; quâ vi erumpat è cuniculis subterraneis, Castrensi operâ, subruendis aggeribus, excauatis; ab eo qui fit dum in planitie, libero cœlo, iniecto carbone ignito ludibrium astâtium euadit. Minus credis dictis, & efferam vehementiam tormentariæ mixtionis mercurialis & sulphureæ non admittis? Lege Polyhistorij Simonis Goulartij Histor. Admirabil. & Memorab. caput cui ∫. est, *Des embrasemens de feu*, quid Mechliniæ acciderit 7. die Augusti anno 1546. ex tali incendio horrendo prorsus & magno. Hæ sint igitur tibi prognoseos cautelæ generales, quibus alia adiicies quæ tum 4. cum etiam 5. Radio Circuli illius 4. dicta sunt,

Puncticulares maculæ vnde?

Apoplexia quomodo contingat.

Elegans demonstratio ab exemplo.

Effectus mercurij impetente calore igneo in angustis oppressi.

Temporis euentus prænotio vnde?

sunt, præsertim circa *motum Lunarem*, quo *Dies Criticæ* vulgò dictæ reguntur, vt nobis totorum decem annorum obseruatione compertum est. Dum enim occurrit illa ad certos vt vocant aspectus siue angulos quos efformant in cœlo lineæ positionum ab eo astro à quo in principio malè affecta est, siue sit Mars, siue Saturnus, & planeta Mercurij (minus frequẽter enim à Sole, rarissimè à Ioue & Venere datur febribus incipientibus occasio,) siue ex sexta, siue ex quarta, siue ex opposita cœlestis circuli parte, imò & ex eadem, quæ coniunctionis dicitur, quia ferè id incidit in eos dies quos Hipp. designauit 2. Aph. 24. tunc crises fiunt, aut earum initia propter conatus; aut *ignis naturæ* iuuantibus beneficis luminibus Solarem vim fouentibus; aut *Mercurij*, Lunâ quasi per dioptram deferente malignas substantias defluentes ab iis quæ opponuntur igni vitæ per sympatheiam cum sale vt martia, saturnina & mercurialia. His enim accelerantur sanitas aut mors, nisi præuidens occurrat Medicus; quod à nobis sæpè factum est Deo bene volente: verum siquidem illud; *Sapiens dominabitur astris*, Constitutione scil. microcosmicâ præualente, sine qua factum est nihil. Lege in hanc rem, vt certior fias, quæ scripta sunt à Tanstetero in canon. astronom. Augerio Ferrerio de Diebus crit. & adde his historicam experientiam ex obseruatione Ioannis Chiffletij 56. & 50.

Luna motus in crisibus consideratus.

Ratio dierũ criticorum.

Astra non cogunt, sed inclinant.

His examine serio diligenter expensis potes ad *curationem* accedere; Aduertens tamen ne te decipiat quod accedere solet iis qui vocati ad ægros

Curatio Febrium.

Cautela medico-practica. multis *excalefacientibus remediis* in altissimam commotionem adductos, igne naturæ conatus extremos producente, (illi enim sola febre valida detineri videntur,) paulò post tamẽ commoriuntur; non aliter ac lucernæ in quibus extremæ olei guttæ flammam altiùs euehunt, eo ferè momento, quo vis ignea deficiente pabulo conuenienti à mercurio ambiente extinguitur; in talibus enim ars ludificatur, & recedendum est secundùm axioma à nobis prolatum circulo quinto, Rad.1. *Quid agas* porrò valido igne naturæ existente, ex primo secundi Radij axiomate subindicatur tibi, vt scilicet contra morbos & causas eas; id est; *impedimentum tollas*; oppressum spiritum leues, opprimente causâ sublatâ: Duplex illa; vera *mercurius*; & notha *sanguis* à mercurio *coagulatus*, vt suprà demonstratũ est. *Diætâ* igitur aduersari debes; Primò mercurio; cùm autem salsum sit eius domicilium, iis quæ salem dissoluunt vti debes, vt sunt aquea: *frigidâ* autem abstineas, suadeo; egelidâ vtaris cupio. Si enim ex aquæ frigidæ potu in corpore motu exagitato febris incenditur, vt suprà docuimus, quid ex potu gelidæ potes in ægro expectare, in quo calor iam distrahitur ad exteriora, & mercurius suo frigore congelante summum negotium facessit calido in quo vita contineri dicitur. At dices *contraria contrariis sunt expugnanda*; Fateor, sed vide ne domesticus tibi occurrat latronis vice; mediâ ignorantiæ nocte, dum exterritus ad fugandum hostem tuum cursitando titubas: Frigida causa est, quæ per accidens calidum symptoma producit. Solus *calor* ille,

In quibus à curâ abstinendum.

Prima indicatio.

Salem dissoluentia.

Frigidæ potum quæ sequantur damna.

Similitudo notanda.

ille, quem aggrederis est *ignis vitæ*, qui in *frigidum* mercurium insurgens præter naturam, & ordinem illum lenem ac placidum quem summus opifex in microcosmo constituit, turbatur, dum officio fungi nequit: Salsa excrementa oleoso mixta abripiunt pabulum igni vitæ, fundamenta struunt volatili substantiæ, vitæ calidæ inimicæ. Si vrges per *exempla* curatorum aliquot frigidæ potu. Ego præterquam mortuorum eâdem haustâ afferens, clauum clauo trudere potero, tibi ostendam sanatos quamplurimos à largo vini potu, quemadmodum te docebit historia quam refert Amatus Lusitanus centur. 2. curat. 42. Accidit sæpissimè vt quod Artabanus dicebat apud Herodotum lib. 8. superet fortuna consilium. Qui verò malè consilium cepit, si fortuna ei arrisit, ille est quidem sui voti compos, sed nihilo secius malè cõsultum est. Multæ sũt curationes fortuitæ. An quia Phreneticus cadens è fenestris, vulnere in latere excitato, & ischio contuso restitutus est apud Pareum cap. vlt. Introduct. Chirurg. ideò præcipites dare oportet alios phrenitide correptos: aut quia Cl. Dortomannus olim scholæ Monspeliensis Professor, molitorem delirantem, cùm in aquam impellente morbo desiliisset, sanatum obseruauit, in aliis ex eodem casu remedium securum fecit? minimè profectò. Meliùs consultum fuit Mediolanensibus Medicis, qui Syrupo D. Ambrosij tepido sudorem prouocantes sitim extinguunt, vt notat Gainerius tract. 2. diff. 2. cap. 1. Et quidam Medicus nomine *La Vau*, huius vsu febres omnes malignas pulicari sympto-

Conuellũtur obiectiones pro frigidæ potu facientes.

Vini potu febres curatæ.

Curationes ex casu contingentes.

Mediolanẽsium Medicorũ praxis. Syrupus D. Ambrosij.

ſymptomate adueniente curabat annis 1625. 1626 1627. apud Allobrogas Viennenſes, vt accepi à Pharmacopœis præſentibus, & popularibus qui eius vſu percurati fuêre. Sed quia de *vino* diximus aliquid; non omittendum quâ ratione noceat febre correptis, cùm ſano exiſtente corpore poſſit ferè quilibet illud ad plures cyathos bibere ſine timore febris, qui aliàs inuadente febre ipſo epoto ad vnum, aut alterum cochleare, horrenda ſymptomata experiretur. Eadem certè prorſus eſt ratio, quæ *pyrij pulueris*, de cuius vi ſupra. Apertis viis circulatio augetur quidem ab oleoſa parte vini, aqua vitæ ſcilicet; at *non*, impeditâ eâ quicquid ſuperfluum eſt per poros cutis ab extremis vaſorum *tranſpirat*, aut cum ſero per vrinas excernitur, nec iterum ad cor refluit: Circulatione impeditâ refluens *fertur ad caput*, turbat animales ſpiritus, motum deprauat ſenſum, &c. quæ pulſus augmentum ſequuntur, & aucto calore vehementiùs, niſi reſiſtat venarum ſubſtantia & fortis compoſitio, anaſtomωſibus diductis quæ ſupra memorauimus contingunt. Ideò in ruſticis experientia quotidiana miras curationes exhibet, dum vino & pipere aſſumpto plerunque liberantur à febribus; eademque in vrbanis hominibus, & delicatioribus naturis in quibus compages mollior eſt & imbecillior, vbi ad eiuſcemodi præſidia confugiunt, interitus frequentiſſimos. Nec gelidam aquam igitur propines, neque vinum niſi cum maxima prudentia: *Aqua* ſimplex *egelida* minus moleſta eſt blando calore vitali ſpiritui, diſſoluit faciliùs coagulatum cum ſale oleoſum

Cur vini potus in febre noceat elegans ratio.

Symptomata à vini potu in febribus.

Cur ſuccedãt in Ruſticis ab aſſumptis calefacientibus ſanationes?

Aquæ egelidæ potæ mira vtilitas.

oleosum à mercurio, vt videre est in aluminibus vitriolis, & volatilibus crystallis, qui soluuntur sola tepidâ; frigidâ concrescunt strictiùs. *Iuscula tepida* clara è pullis gallinaceis idem præstant; *Acetosa* illa latifolia quæ *Gallica* nominatur aciditate sua infringit vim exundantis sanguinis, vt etiam *oxytriphyllum*,, & *limonum succus*.. Id experimentum magisterij tartari vitriolati fixi apud Crollium descripti te docebit; & Mellis ebullientis quod aceto infuso statim feruorem compescit: *Mellis & Bilis* eadem propemodum natura, licet sapore differant, qui tamen in melle latet, vt adustio perspicuum facit. *Cibus* omnis *crassus*, ac *solidus* naturam auocat à certamine, & aditum faciliorem præstat hâc ratione mercurio, dum spiritus incumbit concoctioni. *Omne alimentum dulce facile corrumpitur: Dulcia se in bilem vertunt.* canebat Horatius Sat. 2. lib. 2. & 2. Epist.

Acidorum vis fixans.

Experimenta perpulchra.

Bilis & Mellis naturæ similitudo.

Cibi crassi, cur nociui febre correptis.

Syncerum est nisi vas quodcumque infundis acescit.

Indumentorum pariter habenda est ratio: accidit enim vt qui soliti sunt crassiori veste poros luxuriante calore plenos conseruare, cùm tenuiori amictu liberum nullis ferè repagulis, mercurio præstent aditum, conserat vterque spiritus manus, & inducatur febris, quod quidem accidere solet *Autumni frigore primo* in delicatioribus corporibus,

Vestes mutatæ nocuæ si intempestiuæ mutetur.

Cùm modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu
Aëre non certo.

Tunc enim vt subiungit poëta *corpora languor habet.* Qui etiam in *domibus* terræ vicinis decumbunt; Animaduertas seriò, quàm humor ille promoueat febres;

Domorum Consideratio.

bres; ita vt sæpè videantur ægri sudore frigido madere, quod apud practicum quendam allatâ historiâ legi: Nomen authoris & libri nunc non occurrit; Amico cuidam meo, dum Lutetiæ Parisiorum à Cl.Medico D.Bonauentura Grangerio curaretur id etiam accidisse audiui, cui prouisum est prudentissimo eius consilio vt sedem mutaret; ab hospitio recederet, hoc factum est, breui conualuit. Quàm periculosum sit febre correptis Venerem exercere, præsertim senibus obseruatione mihi compertum est in quodam homine aliàs non improbo, cui à febre ferè libero, dum prurirent genitalia, cum scorto quod ei fortè tunc ancillabatur clanculum rem habuit, dum conatibus inualidus spiritus insurgeret defecerunt vires; ita vt propinante meretrice multo assumpto vino restitui opus habuerit, febris inde eò aucta est, vt tandem pulsus intermiserint, nec ad æqualitatem vsquam admotis licet, & oblatis cardiacis, vt vocant, medicamentis, extra & intra, reuocari potuerint. A *Balneo frigido* Illustrissimum quendam Comitem febre correptum vidi; rationem attulimus superiùs; Quamquam *tepida balnea* multùm proficere pateat ex antiquorum experientia præsertim Galeni lib.8. Meth.cap.2.9. & 20. & Oribasij 10. Collectan. cap 5. Ex neotericis luculenter, & doctè quæstionem hanc tractauit Zacutus Lusitanus lib.4. Hist.Princip.Medic. quæst.25. Nos tantùm in externis febribus, vacuo corporis ab omni sterquilinio, centro probamus. In cæteris ad Diæteticen pertinentibus nihil occurrit in præsentiarum, quod non facilè

Veneris periculosum in febribus exercitium.

De Balnei in febr. vsu & abusu.

facilè poſſit in mentem practici cuiuſlibet venire, qui ſcripta à nobis Rad.2. circuli 5. contemplabitur.

De *Pharmaceuticis* verò eligenda ea tanquam *ſignata* & *ſpecifica* quæ *attrahunt* & *extrahunt mercurium* à *ſale*; vel *ſoluendo ſalem*, *mercurium* profligandum omni „ munimine deſtitutum exponunt *igni vitæ*. Memo- „ rabile ſanè eſt, inquit Mizaldus, quod in græcis „ Quintiliorum Georgicis legi, & à multis non in- „ feliciter expertum audiui. Quid illud inquies? Si „ febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, aut „ paulò grandiori paris longitudinis cucumeres „ dormienti apponantur, & quaſi condormiſcant, „ ſtatim ſanabitur febre omni ab illis preſſo hauſto, aut extincto. Auellunt illa leui ſympatheiâ mercurium à ſale interna ſignatura eâ ratione *quâ Scorpius virus ſuum extrahit*, quod in ſpecimine ſelectarum cogitationum noſtrarum fusè explicuimus, è veris & experimentalibus principiis, quod etiam faciet vt intelligatur faciliùs quod à nobis ſcriptum eſt pag. 70. Pentag. de attractionis & extractionis modo. Eadem vi pollent quæ applicari ſolent feliciter carpis in iis locis in quibus arteriæ pulſant, præſertim in pueris in quibus alia auxilia celebrare non licet. Noſtrates mulieres, vulgò *charger* dicunt, metaphora ab hippiatris ſumpta, qui *deffenſiua* vulgò dicta equis applicata *charges* nominant. Duas eiuſcemodi *epithematis* formulas experimento comprobatas tradam. Prior extat apud M. Rulandum patrem centur. 2. curat. 94. quâ curatus eſt Georgius Kirchmayr febre

Pharmaca Febribus cõuenientia.

Remedium febrium ſpecificum.

Quomodo agat.

Phylacteria febrifuga.

tertianâ laborans. Sic habet: *Recip. Rutæ, Saluiæ, Bursæ pastoris an. M. j. cum aceto rosaceo conterebantur, & supra pulsus manuum per dies octo ligabantur mane.*

Posterior extat apud Losellum in Praxi ex variis experimentis composita & *peri apton ad Febrem*, inscribitur pag. 244. *Rec. vnguenti populeon. vnc. j. telæ aranear. drachm. ij ß. pilulæ ponderis scrup. applicentur carpo & alligentur paulò ante paroxysmum.*

Remedium expertum & certum.

Descripsit iunior ille medicus ex. Empirici Benedict. Vict. cap. 11. de Febr. vtitur enim non dissimiliter descripto remedio quod applicat horis quinque ante parox. nullo cibo præcedente non solum arteriis manuũ, sed etiam pedum & temporum, assumpto potu *ex succi granat. vnc. ij.* eodem tempore, & appellat *Remedium apud se expertum ad febres quo sanantur certè.* Detineri autem debent donec timor paroxysmi præterierit. Celebrauit hoc remediũ Tornamira Montuus, Bairus, Paracelsus, & ex iis Fernelius ad Quartanam quemadmodum etiam Moibanus & Eumanellus vsurpant: Alij Ranunculum; alij Cœpam & Pyrium puluerẽ, & Fuliginẽ, vnde etiam excitantur *vesicæ* quod quibusdam feliciter cedit. Atque hæc quidem *in intermittentibus febribus. Continuarum* verò & *continentium* mercurius causa efficiens alia ratione attrahi & extrahi solet; Proposita enim remedia impediũt tantum ne mercurius in aliis locis secedat, dum continuò ad ea quæ canalibus spirituum apponuntur, illectus magnete vnionis colligitur, eo tempore quo calor incumbit exundantium humorum expulsioni, eo modo qui superiùs descri-

Vesicantium applicatio.

Phylacteriorum vis clarius explicatur.

ptus

ptus est, ac etiam per accidens concentrando calorē vim naturæ auget. Hæc autem iam fixum sali alligatum validiori, licet non vehementiori vi magnetica attrahendo extrahunt, sunt autem verbi gratiâ *pipiones emorientes, pulli gallinacei, pulmones arietini recens extracti*: Dum enim nondum commoriens vis vitalis experitur potestatem suffocantis, & vincentis mercurij, alterâ illectus victoriâ rapitur ab impura sanguinis mixtione, cui succedens impetus caloris interni ignei hunc expellit; vnde nigrorem contrahunt, quemadmodum pluries expertus sum, & nouissimè in quodam puero puncticulari febre laborante, in ea domo cui appensa est *magni Venatoris* imago; quoties enim admouebantur, toties post duas, aut tres horas adeò fœtentes auferebantur, & nigri vt olfactum, & visum horrore afficerent. Idem accidit ex applicatis *tincis viuis* singulis pedibus per XXIV. horas, capite digitos pedis respiciente. Author huius remedij censetur Paulus Iouius libello de piscibus Romanis, licet dissectas applicatas scribat: confirmauit Dodonæus in obseruationibus editis anno 1585. Et id licet internarum curationi conferre scribat tantum, in arcanis tamen habuit contra externas Ludouica Burgesia mulier empirica obstetrix Regia cap. 3. intra tempus enim statutum sordibus olidissimis saturatæ eximuntur. Alia plurima apud Rembertum Dodoneum loco citato, Costam Ben-Lucæ lib. de Physicis ligaturis, & in Thesauro pauperum Petri Hispani legere poteris: Nos probatissima tantum afferimus quæ nostrâ, & aliorum experien-

Attrahentia in continuis.

Nigræ attractus vnde?

Authoris obseruatio.

Tincarum applicatio.

Salem soluentia mercurium detinentem. tiâ confirmata sunt: At quæ *soluendo salem* mercurium omni munimine destitutum profligandum igni vitæ & naturæ exponunt, non solùm inter Diætetica notata sunt, sed etiam in pharmaceuticis locum habent, vt *potiones* quas vulgò refrigerantes, & alterantes nominant *Zulapia* illa, ex stillatitiis aquis & syrupis composita, *purgationes*, quæ *beneficio salis* attrahunt serosos humores, hoc enim est salis propriũ, vt patet ex Radio quarto Pentag. Vniuers. quibus excalefactis, sales volatiles queis mercurius inest, & consequenter coagulationes soluuntur. Blandum autem debet esse sal quale est in *cassia sebesten Rheo, sena, Rosarum succo*, &c. fœtenti oleo, aut acriore substantiâ, quæ aliquid martij retinet carentia vt in scammonio, colocynthide, & aliis eiuscemodi apparet. Quod tamen in *Synochis febribus* sine putredine non faciendum, nec in *internis*, nisi admodum *tempestiuè*, ac primùm per inferiora; alioquin grauia inde sequuntur symptomata: Cautelam habes experti Parei tract. de febribus part. 1. cap. 16. Itaque *clysterum* vsus laudabilis semper, nisi maximæ euacuationes adsint, dummodo è blandis parentur. Quæ *sudores* mouent medicamenta validiùs, à febribus *externis* liberant corporis centro impuro non existente; vnde peracuti & perperacuti morbi sudoribus frequentissimè soluuntur; siquidem quod rectè dicit Leonhardus Fuchsius *Sudores omnibus febribus sunt proprij*, Instit. Med. lib. 4. sect. 2. cap. 3. & inde illud Hippocraticum 4. Aph. 36. Sudores febricitantibus boni qui cœperunt III. V. VII. IX. XI. XIV. XVII. XXI.

Salis proprium.

Sales volatiles.

Cautela in purgationibus.

Clysterum vtilitas.

Hydroticorum vsus.

XXVII.

XXVII.XXXI.XXXIV. die: ij enim ſudores morbos *indicãt.* *Vrinas* eſſe ſudorum vicarias patet ex obſeruatione Galeni ad hunc Aphoriſmum, & ex ea œconomia, quam in humano corpore primâ noſtrâ exercitatione aperuimus, vnde *Aperientia* Decocta ex inodoris herbis parata ſale volatili blando dulci, & leuiter acido ſtipata non inflammare, ſed excitare calorem tanquam leni flatu valentia hîc ſummoperè à me laudantur; vt *Decocta Graminis*, *Rad. Chicorij*; *Succus Limonum*, &c. Illa enim, vt ſupra dixi *ſegregant ſalem*, ſiue *ſympathetica attractione*, quæ magneticè ſalem allicit, ſiue *ſolutione* quâ eluitur, & ad emunctoria corporis protruditur *mercurio alas reddunt*, ad fugam, & *munimentum auferunt*, vbi longiori obſidione calorem vitalem oppugnare nititur. At certè ſudorificorum vis præſtantior, vt ſuprà indicatum eſt. *Dupliciter* enim *agunt*, dum ſoluunt coagulata, & coagulantia ac impura ſoluta expellunt extra corporis ſuperficiem: Sunt enim duplicis generis: alia ſiquidem ſimpliciter *virtute oleoſi* excitant calorem ignis vitæ, huic vim addentes vt ſtipulæ igni vulgari, id facit *Aqua Theriacalis*, *Imperialis*, *ipſa Theriaca*, *Confectio Alkermes*, *& ſimilia multo oleoſo prædita*: Alia dum *aqueâ facultate* admixtâ præter oleoſam accendentem *diſſoluunt ſalia*, vt *Aquæ ſudorificæ Cardui benedicti*, *Scabioſæ*, *Boni-henrici*, & eiuſcemodi, item *Decocta Chinæ*, *Guayaci*, *Zarzæ parillæ*, & prædictarum herbarum. Id tamen notandum, ne prioribus vtaris, aut poſterioribus validioribus in vllis febribus exceptâ quartanâ, aut peſte in qua priora laudantur vt dicetur poſtea.

Diureticorũ commoda.

Qualia eſſe debeant in febribus.

Sudorificorum laus.

Quomodo agant.

Cautela in vſu hydroticorum.

Poſterio

Posteriora conueniunt omnibus febribus tempestiuè adhibita maximè verò *Decoctum istud* quo sæpè in febribus continuis,& continentibus euacuatâ cacochymiâ vsus sum. Sic habet.

D. D. R. C. F.

Decoctum sudorificum.

Rec. Decocti hordei part. vij. Vini albi opt. partem viij. misce in vase terreo. A leui feruore colo separetur à seminibus Liquor, cuius haustum maximum quantum ferre poterit æger capiat tepidè, & tegumentis obuolutus ad sudorem se componat, vbi ad eum dispositus videbitur.

Vis & administratio decocti huius.

In febricitantibus quamplurimis hoc hydrotico feliciter vsus sum, præsertim vbi crisis tempus proximè accessit; Soluti enim sunt in sudorem ac felicissimè percurati: Inter cæteros vir quidam prædiues Cochetus nomine ex eo oriundus oppidulo, quod S. Stephani nomen præfert, dubiam salutem variis accidentibus die morbi septima exhibens, ad certam huius sorbitione faustâ conuersus est non sine admiratione multorum adstantium. *Epithemata liquida & solida* ex oleosis accendentibus calorem natiuum composita cordis applicata regioni non parum iuuant, & *olei inunctiones* præsertim eius quod *de Scorpionibus à Matthiolo compositum* inscriptum est, dum per ea dilatantur pori, & excitatur validiùs vis ignea vitalis certamen naturæ traducitur ad victoriam certiorem contra hostilem mercurij coagulationem. *Reparatio* verò febribus conueniens fit quemadmodum solutio beneficio *internorum* & *externorum*

Auctoris experientia.

Epithematũ applicatio.

Olei inũctio, quid faciat.

Alterum caput Pharmaceuticæ curationis.

ternorum præsidioru̅.Interna ſunt quæ moderatur ignis natiui feruore̅.*Leni oleoſo* vt *Conſeruæ florum odoratorum Confectiones* & *ſpecies bene olentes*, ſine acrimonia ſalis, vnde efferueſcentia. *Conſeruæ* v. g. *Bugloſſi, Violarum, Roſarum, Confectio Hyacinthorum, Species Diamargariton, Diarrhodωn*, *Santalorum trium*, & aliæ eiuſcemodi. *Externa* ſunt quæ ſuggerunt *vim ſulphuream* roborantem calorem in extremis, vt alimentum ſalſum à mercurio non inquinatum firmet oſcilla vaſorum: Sic enim corpus minus patet iniuriis obuenientis aëris externi mercurialis, minimumque diſſipatur vis ignea intus concluſa. Ex iis ſunt *ſordes corporum*; Vnde temerè faciunt, qui induſia & lintea cubilium mutant in ægris febre laborantibus, non ſolum quod nitida lixiuij ſalſi vim retineant, lentorem ſcilicet mercurio excipiendo aptum, ſed quòd hunc vſum habeant ſordida illa ad roborandam vim igneam naturæ, & euertendam contrariam. Quod nos in Illuſtriſſima quadam Comitiſſa variolis Epidemiis, tunc ferè lethalibus correpta feliciter experti ſumus, & in quamplurimis aliis. Quamobrem rectè apud Franciſcum Baconum de Verulanio in Hiſtoria vitæ & mortis iubebat Hippocrates æſtate veſtes ſordidas, & oleo imbutas geſtare, pag. 431. edit. Londinenſis in Fol. anno 1638. Et certè eodem teſte Ioannes de Temporibus qui CCC. annis vixit reſpondit quærentibus quibus vſus eſſet præſidiis ad vitam hanc diuturnam, *intra quidem melle*, *ſed extra oleo*. Hiberna etiam Comitiſſa Deſmondiæ quæ vixit annos CXL. Butyro ſe nudam inungebat, & cro-

Interna roborantia.

Externa reparantia.

Cur induſia ægrorum febre correptorum non mutanda.

Sordium corporis vires.

Authoris obſeruatio.

Aliæ obſeruationes.

Reſponſum Ioannis de Temporibus.

ceata gestabat indusia. Ego verò testis sum oculatus virum quendam doctum & mihi amicum ad summam senectutem deuenisse, qui quotidie ieiunus *manus vino ipsumque os* colluit; Proprioque experimento cognoui illud valere contra quamuis contagem, præsertim febrium & luis pestiferæ. Vnde suadeo vt qui in hecticam propensi non fuerint, vtantur hoc vini lauacro ad roborandas partes prænominatas simplici, vel eo, quod experimento Amati Lusitani confirmatum extat in fine Oenologiæ nostræ parte secunda. Profecto quisquis sudans & sitiens modicum meri biberit, & lotis extremis manibus paulisper ambulans in loco temperato, ad temperiem consuetam non deposita veste, (vt solent plerique, statim indusium vt loquuntur mutantes) redierit, à febre omni *externa & pleuritide vera* se præseruabit, si præsertim ingluuiem vitans ieiunio semel in mense superfluam quantitatem sanguinis in alimentum absumi patiatur, & excitet segnem in excretionibus naturam, iuxta ea quæ scripta sunt in *Aphorismis nostris salutiferis*; ad *Hecticam* porrò inclinantibus *Balneum ex vino pauco, Lacti* multo admixto conueniet.

Lotio manuum vinosa quam vtilis.

Vinosum lauacrum febre cōualescentibus præscribendum.

Præseruatio certa & rara contra febrē & Pleuritidem.

Balneū Hecticorum.

Chirurgia.

Chirurgicorum præsidiorum præcipuum est *sanguinis missio*. Quid in febribus commodi afferat syncerè aperuimus Rad. 5. circuli 5. Pentag. partic. pag. 99. Nec obiiciat aliquis continentes febres hîc locum habere non posse, cùm sanguis sit causa febris; Neq; enim de secūda causa febris tunc loquuti sumus, sed de prima, quæ est salis oleique à mercurio coagulatio

Phlebotomia quid in febribus faciat.

tio in anastomosibus, vt suprà declaratum est. Quamobrem in eadem sententia perstamus. Soluendo igitur continuum febrium causa, per accidens destruitur, vt etiam dum *cucurbitulæ* affiguntur, quod certè satis superque declarat Amatus Lusitanus curat.15. centuriæ 3. & Scholio ad curat.16.&18. eiusdem centuriæ. *Hirudinum* eadem est ratio quæ venæ sectionis vno excepto, quod sæpe per has euacuatur cacochymia, si turgeant, causam attulimus Exercit.prima, quia fæculentior & crassior pars sanguinis facile relabitur ad interiora; vnde factum est vt ad iuuandam circulationem plures valuulas in tibiarum & crurum venis constituerit natura, quàm in iis quæ à capite descendunt. Hæc omnia minus in sectionibus humanorum corporum exercitato patebunt ex libello, & elegantissimis figuris Hieronymi Fabricij ab Aquapendente de venarum ostiolis. Sæpe etiam dum erumpunt tumores, siue *abscessus*, quod in iis ferè annotaui qui post 20. diem synocho putri laborantes, sine absolutissima crisi liberati sunt per vrinas, non per sudores, hos vt aperias necesse est, & purulentæ materiæ attractio perficienda *Emplastris* pus mouentibus, vt eo quod *Diachylon* nominatur, cum vnguento quod *Basilicon* Pharmacopœi appellitare solent immissis turundis. Erumpere autem vidi fere circa ossis sacri latera, ídque in multis, maximè duobus pueris altero D. Varenij filio natu minimo, altero D. Laurentij.

Locus Pentagoni explicatur.

Cucurbitulæ.

Hirudines earumque vtilitas.

Cur plura ostiola in venis inferioribus, quã superioribus.

Authoris obseruatio vtilissima.

Emplastra.

Quantum porrò attinet ad ea remedia quæ postea explicantur, & deducuntur ab *Archetypo*, *Planetis*, &

Alia remedia ad febres,

& Microcosmo. Primò dicendum Ezechiam à quo in-
Dei innocatio. uocatus est אל־יהוה, curatum fuisse morbo acutissimo qui proculdubio non erat sine febre; Pleuritidem enim fuisse testatur Petrus Hispanus, qui Pontifex factus postea Ioannes XXI. appellatus est Thesauri Pauperum cap. 26. Et certè quandoquidem proximus erat morti consentaneum est complicatum eius malum cùm inflammatione ob quam trahebatur partes principes in compassionem & periclitabatur, vt rectè scribit Valesius cap.39. Sacræ Philosophiæ, Sic autem ille Histor. Reg. lib.2.
Oratio Ezechiæ salutifera. cap.20. v.3. *Obsecro* יהוה *memento quæso quod ambulauerim ad facies tuas in veritate, & in corde perfecto, & bonum in oculis tuis fecerim.* Audiuit יהוה-אל היכם orationem eius,& vidit lachrymam eius ita vt postea
D.N. Iesvs curat febrē. conualuerit. Sic vt in Euangelio D. Matthæi legitur cap.8.v.14. cùm venisset Iesvs in domum Petri vidit socrum eius iacentem & febricitantem,& tetigit manum eius,& dimisit eam febris, vnde forsan traducta est illa formula quæ in libro vulgò Gallicè di-
Formula vulgaris orationis cōtra Febrem. cto, *Prieres Chrestiennes & Catholiques*, impresso hîc anno 1640. apud Guillelmum Guyard in hac vrbe pag.71. *Oraison contre la Fieure*, quâ recensetur dialogus Domini, & D.Petri in Porta Hierosolymorum, febre laborantes,& subinde curati, qua multos cura-
Angelorum ministerium in curatione Febrium. tos fama vulgò prædicat. *Angelorum* etiam vti ministerio in curatione febricitantium Devm, testatur Historia Piscinæ Probaticæ Hierosolymitanæ, in qua iacebat multitudo non solùm ἀσθενούντων, sed peculiariter ξηρῶν *aridorum*, id est, febre hecticâ labo-

rantium,

rantium, qui turbationem aquæ salutiferam ab Angelo κτ̀ καιρὸν descendente excitari solitam expectabant, vt testis est D. Ioannes Euangelista cap.5. v.3.& seq. Nobis propositum non est curationes Febrium à *Dæmonibus* institutas inquirere, cùm eas damnemus ex Leonis præcepto allato Pentag.nostri pag.73. Verùm per *Sanctorum & Piorum virorum orationes*, febribus laborantes posse citò conualescere confirmabit Historia Patris Publij principis Mitylenes: Hic enim Febribus & Dysenteria Συνεχόμενος cùm iaceret, ad eum intrauit Paulus, vt docent Acta Apostolorum cap.vltimo v.8.& cùm orasset,& imposuisset ei manus ἰάσατο αὐτὸν *sanauit eum*. Itaque Sanctos adeant qui mutua oratione à DEO Opt.Max. Sanitatem exposcant pro febricitante: Rationes attulimus loco Pentag. citato, & ab iis qui in Ecclesiam vocati sunt vt Spiritualia illa thymiamata Omnipotenti offerant imponi sibi manus curent. Quod ad *charismata* τῶν ἰαμάτων, attinet Martinus Delrio scribit Disquisit. Magicarum lib.1. cap.3. q.4. *Donum à Febribus sanandi* eos habere in Flandria qui nati sint in ipso *die Parasceues*.i. die Veneris Pascha præcedente. Quemadmodum & quotquot nullo fœmineo sexu intercedente *septimi masculi* legitimo thoro nati sunt. Primum illud doctissimus Theologus dicit DEVM ob diei honorem, mysterij sanctitatem,& honestatem coniugij concessisse. At hoc postremum ad *idiosyncrasiam* pertinere, quâ historiam Pyrrhi confirmauimus,arbitror,cùm vis omnis corporea confirmetur in septenario, vt

De curationibus per Dæmones Auth. sententia.

Sanctorum orationes quid valeãt, contra febres.

Gratia Sanationum aduersus febrem.

Idiosyncrasia vis.

Comparatio rem totam explicans.

docuimus Pentag. Particul. pag. 81. Quemadmodum enim contingit in arte fuſoria iis qui è liquato ſtanno catinos,& alia vaſa fingunt,vt excalefacto archetypo typi perfectiores exeant; multiplici infuſione autem id accidere ſolet; ita ſpiritus microcoſmicus ſolaris,igneus, vitalis vias ſibi faciens multoties in ſperma exit, ſeptimo influxu in materiam quaſi doctior informás exactè partes eodem modo conformatas, & vegetior irradians etiam extra corporis metas, ad fugandum mercurium aduerſarium etiam in aliis cauſâ minimè obſcurâ;vnde febrium,præſertim externarum curatio, quæ ab aliis hominibus non fit in quibus calor proprius vix ſufficit ad ſui tuitionem. De *Ligaturis* quædam ſupra memorauimus,nec illa repetere conuenit. At de *Planetarum Sigillis* Zimara refert inter Sigilla Salomonis parte 2. Antri-magico-med. imaginem Aquarij ♒ non combuſto,modò ☉ Ioue non ſit altior, & ♄ ſit in aſcend. aut in 19. ♈ 3.15.27. ♉ 3.4.12.15. ♊ 2.5.19. ♋ 3.13.30. ♌ 3.5.21. ♍ 7.18.20.21. ♎ 13.20. ♏ 12. 13. 24. ♐ 7.18.20. ♑ 13.29. ♓. prodeſſe quartanariis.

Ligaturæ phyſicæ.

Sigilla Planetaria aduerſus febres.

„ Contra febres,inquit
„ Marſilius Ficinus lib.3. de vita cœlitùs comparanda
„ cap.18. ſculpebatur à veteribus Mercurius homo tela
„ manu tenens hora ☿ ſurgente ☿; ſculpebant hanc in
„ marmore ſubinde materiæ cuipiam imprimebant,
„ languentibus aſſumendæ. Hinc *omne genus febrium*
„ curari dicebant.

Ratio ſigilli explicatur.

Senſerant Viri naturæ peritiſſimi, conſtare febres potiſſimum cauſa mercuriali, ſympatheticos per Mercurij illicium in rem Mercurio familiarem propter coniunctum cum eo ſalem, vt

eſt marmor extrahenda, ratione pro veneno Scorpij allata, ſimile enim trahitur à ſimili propter naturam congenerem, & à *mercurio planeta* quaſi *effluit elementaris mercurius*, vt ignis à Sole, ſal principium à Luna, &c. Quinetiam Anſelmus Boëtius de Boodt Medicus Imperatorius author eſt in Hiſtoria Gemmarum & Lapidum lib.2. cap.189. *Limaces* cochlea carentes in *capite Lapidem* habere qui valeat contra quartanas. Albertus Magnus apud VVecherum lib.1. Antidot. ſpecial. ſect.6. ſcribit nigrum *Lapidem ex* diſſectis *hyrundinibus* exemptum optimum eſſe contra quaſlibet febres. Et Plinius Hiſtoriæ naturalis ſcriptor accuratiſſimus febrium tutiſſimum remedium tradit è *lapillis* qui ex *Aſello* piſce (nos Merlutium appellamus) plena Luna educuntur à capite & alligantur in linteolo lib.32.cap.10. Iam ad ea quæ *imaginationem commouendo* febres percurant veniamus, Multum enim ſæpe proſunt, inquit VVierus lib. Obſeruat. pag.43. de febre quartana agens, dum ſe mutuo inducunt vt hanc curationis formam iuuare firmiſſimè confidant homines leues. Qui dubitas lege hiſtoriam Iuuenis illius quem Brudus Luſitanus tertianâ, verbis datis, cautelâ prudentiſſimâ liberauit, extat lib. 3. cap. 18. de victu febricitantium. Deceptus hic horâ paroxyſmi non indicatâ, perfectè liberàtus eſt, cùm priùs imaginationis vi propemodum periiſſet. *Ridiculos Rythmos*, & *Obſeruationes vanas*, quibus nonnulli imaginationem commouendo ægris illudunt, ſæpe nihilominus feliciter habes apud Hemingum Scheunemannum in Paracel-

ſia

Notandum de effluxibus planetariis.

Lapides contra febres.

Imaginationis vis in febrium curatione.

Obſeruatio circa poteſtatem imaginationis.

Rythmi ridiculi & vana obſeruationes quomodo febriũ curationi conferant.

ſia de Morbo Sulphureo Cagaſtrico 4. de omnibus febrium generibus, Fernelium lib.2. de abditis rerum cauſis cap. 16. Riuetianum lib. de Coniurationibus, Pareum in Introductione, Cardanum lib. de varietate. M. Del-rio lib.3. part.2. quæſt.4. Diſquiſit. Magic. Quàm verò illa ſint *abſurda* lubet vno, vel altero paradeigmate demonſtrare, vt qui iis curantur intelligant id *credulitate ſua* fieri, & *leuitate* qua commotus ſpiritus animalis vehementiùs excitat ignem naturæ validiùs, vt aduerſa & irruente p.n. vi ſe explicet, deſumam à Scheunemanno qui primus occurrit. Hic pagina 107. dicit febrem ex timore curari à quibuſdam hoc carmine à Pharmaceutria Theocriti, vel Virgilij:

Exempla nugarum anilium, quibus febres profligari creduntur.

Vincula ter necto ſalicum ter vimina plecto
Febris vt octonæ de ſacro carmine nonæ
Noxa lues cedat, nec corpus frigore lædat.

Alij, (ſubiungit ille) Capillos ægri ceræ & limo impreſſos ſuſpendunt cum his verſibus:

Limus vt hic dureſcit & hæc vt cera liqueſcit
Vno eodemque rogo, ſic febrem carmine rogo
Torpeat inſtricti per vincula torta ſaluti.

Rythmus adeſt non ratio vt vulgo ſolemus loqui. Sed ad poſtrema carmina riſum quæſo teneatis amici. Coniurant per animalia, inquit author ille ſic febrem:

Iuro Lupi bronchos crepitantes, iuroque ronchos
Ciconiæ bilem, quoque turturis bilem
Amoueas tortam præſenti à corpore nortam
Febris ac mergaris in alto gurgite maris.

Nauſeam

Nauſeam illa faciunt quemadmodum & toties repetitũm ABRACADABRA ex Sereno Sammonico præſcriptum *Hæmitritæo* curando, ſic enim ille:

Hemitritæi remedium è Sereno.

Inſcribes chartæ quod dicitur Abracadabra,
Sæpius ac ſubter repetes, ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris
Singula quæ ſemper capies & cætera figes
Donec in anguſtum redigatur litera conum
His lino nexis collum redimire memento.

Harmoniæ muſicæ contra febres poteſtas.

Poſſe *Muſicam* etiam *Harmoniâ* ſuâ Febrium ardores demulcere ſatis conſtat apud aulicos qui ratione inuentum remedium feliciter experiuntur ne Veterum exempla Terpandij, Arionis, aut Thebani Iſmeniæ huc referam, aut quod Epiphanius Ferdinandus de *Tarantatis*, qui etiam *febre correpti* muſicis cantibus percurantur ſcribit in centum Caſibus Medicis, Hiſtor. 81. rationes habes Pentagoni pag. 88.

Ex homine ad febrem remedia.

Ex *homine ipſo* contra propriam febrim quæ poſſint educi remedia videamus. Ego profectò apud S. Geneſiũ oppidulum quod duobus miliaribus Lugduno diſtat curaui duos pleuriticos quos ætas & omiſſa conuenientia præſidia in deſperationem ſanitatis adduxerant aſſumpta vrina propria: Tantum enim acceſſit remedio ipſis inſciis à Chirurgo propinato vrinæ profluuium vt leui ſuperueniente ſudore morbus ex toto ſenſim euanuerit. Certè in vrinis attractiuum eſt illud, cuius ſuprà meminimus ex imperfecta principiorum mixtione vnionem deſiderans qua coagulata auocato mercurio diſſoluuntur, & in

Vrinæ humanæ vis experta contra pleuritidem.

M illo

illo remedio non paruum auxilium contra febres externas, euporiston rusticis hominibus arbitror, centro corporis puro. Ipse Galenus agnouit experimento vrinæ humanæ potu *pestifera febre* correptos persanari in Syria lib. 10. de simpl. medicam. facult. causam disce ex loco citato Pentag. Partic. pag. 86. & 87. Iam ad *Quantitatem* remediorum transeamus.

Galeni obseruatio.

Quantitas remediorum in febribus.

Rectè quidem ab Hippocrate scriptum 1. Aph. 9. Συντεκμαίρεσθαι χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου. Nam tantùm homini datum quantùm sufficit ad fouendum ignem naturæ, cuius augmentum multum absumit oleosi in certaminis illius aduersus coagulantem mercurium instituti vehementia. Videndum enim *ne plus satis dederis* quo salsa causa & impura augeatur, aut periculosa vasorum distentio, arctatis viis, vt supra demonstratum est. Item ne auertas ignem vitæ à locis in quibus pugna committitur; dum v.g. nouitate recentioris alimenti radij Solis illius Microcosmici temerè euocantur à corde ad ventriculum, vbi valentior vrget in extremis venis conflictus, vt solet in crisibus fieri. Quamobrem cautiores Medici *subtrahunt* cibum in diebus iudicatoriis, naturâ ad sudorem dispositâ aut si dent, paucum & polytrophum, qui possit *oleoso pauco ignem natiuum potentiùs accendere*; Quod ego feci feliciter in quamplurimis, maximè in quodam viro optimo, vrbis istius mercatore cui olim tardiùs accederet sudor criticus, & natura in ancipiti versaretur propinaui *cochleare vnicum vini*

Victus quantitas in febribus ex quibus æstimanda.

Quando cibus substrahendus.

Experientia Authoris multiplex.

optimi

optimi cum duobus restaurantis iusculi: vnde copiosus mox obortus est, & viuit hodie superstes tam faustæ curationis testis memor. Cauit ideò Hippocrates, ne in accessionibus cibus offerretur; τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει, vt addit ille 1. Aph. 11. Et ego *ieiunare* cogo in Febribus intermittẽtibus eos qui die præcedenti, vel ante paroxysmum catharticum assumpserunt, donec horâ paroxysmi, & omnis eius aduenientis timor planè recesserit quod in sexcentis mihi felicissimè cessit, etiamsi quidam ieiunium produxerint vltra xxiv. horas; Alioquin etiamsi corpus purgaueris redibit accessio, quia cùm è stomacho massam quam Astrales radij efferuescere fecissent, sustuleris, nouo cibo nouam suppeditas materiam, quâ increscit nouus conflictus, quòd vase nõ syncero facilè degeneret in corruptelam; vnde peruulgatum illud Hippocraticum, *Corpora impura quo magis nutries eò magis lædes.* Arrisit mihi semper Galeni consilium 1. ad Glauconem cap. 10. quo suadet ægris, vt tantùm cibi assumant quantùm concoquere possint; qui verò corrumpitur non concoquitur, facilè autem qui superfluit corrumpitur & febres creat vt patet ex eleganti illa quam de se refert historia Ludouicus Cornarus Tractatu de vitæ sobriæ commodis. Quatuor iam anni sunt inquit ille (accidit enim cum LXXVIII. essem annorum) cùm " medicorum consilio, & meorum importunitate " assidua inductus sum, vt aliquid mensuræ consuetæ adiicerem, itaque ne viderer obstinatior, & vt " amicis gratificarer cessi tandem & permisi mensu- "

Ieiuny in febribus vtilitas experimentis confirmata.

Ratio eius.

Galeni dictũ egregium.

Ludouici Cornari obseruatio.

„ ram cibi augeri, ſed *duabus* dumtaxat *vnciis, potus* „ *totidem* vt eſſent XIV. *cibi*, & XVI. *potus*. Hoc aug„ mentum *poſt decem dies*, ita in me cœpit operari vt „ ex læto & alacri factus fuerim melancholicus & „ cholericus, adeò vt omnia mihi eſſent moleſta, „ nec ſcirem quid dicerem, aut facerem XII. die in„ uaſit me dolor lateris qui XXII. horis durauit; dein„ de ſuperuenit *febris grauiſſima*, quæ XXXV. dies, & to„ tidem noctes continuauit etſi poſt XV. diem ſem„ per minor euaſerit. Accedebat quod interea tem„ poris non poſſem capere ſomnum, vel ad vnũ ho„ ræ quadrantem vnde omnes iudicabant me mo„ riturum; Nihilominus ego DEI gratia me curaui „ ſola illa regula viuendi. Hæc ille. Videant igitur ſanitatis ſuæ ſtudioſi ne temerè violent ordinatæ vitæ regulam & annotent Medici quàm grauiſſima ex *paucis ſuperfluis* exoriantur in humano corpore mala. In *malignis* verò *febribus*, cum *tenuiori victu* facilè pecces, quia μίασμα peſtiferum, niſi continuâ oleoſi affuſione continuus ignis vitæ tenor in mercurialem vim volatilem ſaturninis, aut martiis maleficis poteſtatibus copulatam ſeruetur, vt obſiſtat in portis vtriuſque ſinus, irrumpit ad ſuffocandam vitam. Quamobrem rectè conſultum puto illis qui *conſummatis & reſtaurantibus iuſculis*, & *carnium expreßis ſuccis*, iis quæ *putrefactionem arcent* bene munitis calori natiuo continuis ternis horis vires addunt. Quod ego ex Præceptorum meorum in Practicis exemplo hactenus feliciter ſequutus ſum. In *medicamentis* id etiam conſiderandum vt habeamus rationem

Vita ſobria commoda.

Conſuetudo periculosè violatur.

Cur cibus plenior in malignis febribus præſcribendus.

Praxis Authoris.

nem *naturæ ægri* non solùm, verùm etiam *actionis medicamenti*, de quibus duabus conditionibus diximus Circul.5.Pentag.partic.Rad.3.ne valentius quàm par sit agamus. Siquidem quemadmodum scripsit Hippocrates libello de Medicamentis purgantibus, *Turpis est calamitas medicamento purgante dato hominem occidere.* Videndum etiam vt si non vna, aut altera dosi euacuetur morbifica materia, accedat iterata pharmacia, donec leuamen ægrorum per symptomatum remissionem conualescentiæ certissimæ notas exhibeat. Obseruaui *simplici* plurimùm atque *vnicâ* medicinâ, vt vocant, tempestiuè oblatâ *Tertianas puras* posse percurari. *Quartanæ* non pertinaces *triplici*, ac continuâ potione opus habent; *Quotidianæ multiplici. In Continuis* febribus, & *putridis continentibus* non *vna aut altera dosis triplicati apozematis* curat, *tertia* offerenda plerumque, sed interuallis datis & naturæ actione non violatâ per deprauationem auertentem; vt possim quid sentiam ex placito rectiùs exprimere. Quibus complicata est cacochymia in mesenterio ex *epicrastica*, *ad septimanam* bis aut ter, satis intermediis temporibus, purgatione restituuntur, quia quemadmodum non segnis, aut delicatus inspector annotaui, primò stercorea excrementa exeunt; hæc molestiam non faciunt torminibus, vt ea quæ sequuntur viscida crassa, quæ dolores & cruciatus sæuissimos creare solent, his verò exemptis aquæ cirrinæ & nigræ aliquando educuntur. Hoc in formosissima quadam muliere longa febre erratica & lenta cum obstructione mesenterij intu-

Quantitas medicamentorum.

Obseruationes authoris miræ.

Epicrastica purgatio vbi instituenda.

Varietas excrementorũ.

mescentibus hypochondriis ad vmbilicum non sine magna & sensibili molestia *vnico exhibito remedij genere* obseruaui composito tamen ex eccoprocticis, phlegmagogis, & hydragogis febrifugis quibus illa varietas excrementitia mihi apparuit, vt etiam in quodam viro Religioso & docto; ac ipso Arandalio cuius in curationibus per vina medicata mirabilibus meis ante biennium editis memini, aliisque plurimis. De *phlebotomiæ quantitate* vltrò consentio Vincentio Baronio Medico eximio qui eruditissimo opere de Pleuripneumonia lib.2.c.8. *Parciores euacuationes copiosioribus esse perniciosiores* scribit, ac c.13. libri eiusdem; medicos in febribus, (illis scilicet quas *internas* nominaui præsertim, aut *mixtas*) copiosæ aut sæpiùs repetitæ vacuationis loco non nisi semel, & ad sex, vel octo vncias sanguinem detrahentes ægros miserè interficere, quo fit postea subiungit ille vt penes vulgum, imò penes medicorum nonnullos ægrorum casu in ipsam phlebotomiam reiecto tantum præsidij genus infametur. Exemplum ex iis quæ contigerunt Flaminiæ anno 1622. affert ad huiusce rei confirmationem in Febribus periculi aribus. Abrogaretur hic error, si laudabilis illa Parisiensium Medicorum consuetudo, exolescente ponderum in formulis Epitaxeωn nomine, traheretur in alias Prouincias, vt per catillos certæ mensuræ (*paletas* vocant illi) potiùs *quàm per vncias* mittendi sanguinis quantitas chirurgis definiretur: Minùs commodè siquidem illa libris & ponderibus, quàm mensuris æstimatur vt disertè probat Iacobus

Chirurgicorum præsidiorum quãtitas.

Vincentij Baronij laus.

Parisiensiũ DD. laudabilis mos.

Primirosius lib.4. de erroribus vulgi cap.25. Accidit & hoc vt decipiant seipsos quotidie medij. Dicam quod mihi aliquando contigit dum præcepissem vt decem sanguinis vnciæ amplissimo istius vrbis Senatori, quæ maxima est vulgò quantitas, sectâ venâ educerentur: Experiri volui cum chirurgo viro optimo, & experientissimo quantum penderet quod in duabus vt vocant scutellis detractum fuerat, vt id quod à me dictum est confirmaretur; inuenimus octo & decem vncias, quod actum est cum ægri leuamine maximo; Insolens tamen factum iudicasset quicumque de plebe medicorum in Epitaxi medica vncias XVIII. legere obseruauisset. In mente sit igitur cuicumque medico sanguinis detrahēdi quantitatem definienti, parcas illas euacuationes commouere potiùs quàm subleuare naturam, liberaliores autem in plethoricis præsertim & iis qui maxima inflammatione laborant, & adurentissima febre vt Laurentianus vertit, synocho maximè, sicut addit Montanus ad hoc Galeni consilium quod extat in cōment. ad 23. Aph. sect. 1. cōuenire. Ea tamen seruanda mensura quæ ad nimietatē non transeat, *Omne siquidem nimium* τῇ φύσει πολέμιον. Ad hoc habes sapiētissima præcepta Prudētissimi simul, & Humanissimi D. Francisci Citesij REGIS, & Eminentissimi Cardinalis Ducis DE RICHELIEV Medici laudatissimi, eleganti illa *Dissertatione de vsu Phlebotomiæ.* Ab eo profectò tempore quo veritas *motus cordis & sanguinis* ex animalium viua sectione, post Diuini Haruei doctrinam nobis innotuit, & *origo catharri* suffo-

Examen quantit. sanguinis ab Auctore factum.

Cautelæ circa quantitatem sanguinis extrahēdi.

Frācisci Citesij laus.

cantis,

cantis, quam postea nobis confirmauit vnanimis Baronij illius citati sententia etsi non adeò perspicua: Dum inquam plerosque interire cognouimus suffocatione sanguinis copiosiùs *in cordis ventriculos* irruentis maximè *per venam cauam in dextrum*, & deinde *per arteriam venosam in sinistrum*, cauimus felicissimè nobis; Ac Devm testor dum contigit, vt absente malignitate præsentes omni horâ adesse potuerimus, tempestiuè iteratâ frequenti, & cum ratione copiosâ sanguinis detractione, *vacuo corporis centro*, nullus eorum, quos curauimus, istis febribus laborantium interiit; (plurimos autem viritim indicare possemus,) coagulatione siquidē premente in extremis vasis, sanguinis refluxus augetur nisi detrahas quod superabundat, compressis locis refluxus ad cor non solum per loca indicata, sed etiam contra naturalem œconomiam *per arteriam magnam violatis valuulis recurrens* præfocat. Caue igitur & ægris adsta, tanquam coquus lacti ab igne feruorem expectanti, vt nostratum fert parœmia, Hippocratici illius effati celeberrimi memor *occasio præceps*. Vide tamen ne à centro corporis reuellas impura ex primis viis in interiora, sanguinem succis malis aduocatis inficias. Cautus Leonardum Botallum audi, Virum doctum profectò, & Medicum practicis celeberrimis annumerandum, quem, vt hoc obiter dicam, quædam hirudines temerariæ sæculi istius, intempestiuæ suæ praxeωs in abusu phlebotomiæ patronum immerenter faciunt *lib. de Curatione per sanguinis missionem*, edito Lugduni 1580. apud Ioannem Huguetan; Qui hæc

Authoris in curādo felicitas vnde?

Authoris admonitio seria ad Practicæ Medicinæ professorem.

Leonardi Botalli encomium & defensio.

hæc ſcribit de morbis longæuis, pag. 131. Vitium "
igitur in prædicta materia multitudine grauante, "
aut qualitate lædente quæ longæuos morbos fa- "
cit, aut ſuſtinet, inutilis propterea illa eſt afflicto "
corpori, demenda idcirco eſt per loca conferen- "
tia; hæc enim ab artifice naturam imitante eli- "
genda ſunt pro ratione *loci*, in quo id quod lædit "
poſitum eſt, & *ex quo* id *detrahi commodè* poteſt. "
Quod in *ventre*, vel *inteſtinis* eſt, vel *ano* depellitur, " *Notandum.*
vel *vomitu* regeritur. Quod verò eſt in venis, aut per "
ora venarum ſanguini repurgando deſtinata, aut "
per inſenſilem tranſpirationẽ; in quibus operibus ſi "
natura pigrior ſit, aut languidior, nihil æquè illam "
excitat, & reficit, quàm *vena ex tempore inciſa*. Hæc "
ille, quæ à nobis deſcripta ſunt, vt candorem viri optimi & prudentiſſimi palàm exponeremus, contra eos qui ſine examine ne dicam lectione præceptorum illius omnis inſtitutionis anatomicæ, & phyſiologicæ expertes, audent continuâ vbique, & omni tempore, & morbo, ſanguinismiſſione per interitus infinitos in humanum genus graſſari, Botallum ſi diis placet ſuæ hæreſeωs infenſiſſimæ authorem coram iis quibus minùs cognita ſunt viri eruditiſſimi Theoremata appellantes, odio publico proh nefas! hominis probi nomen quotidie exponentes. Vidimus enim ſublatum hâc ratione virum eximium ad faſtigium conſularis dignitatis in iſta vrbe aſcendentem, cuiuſdam pertinaciâ qui dum neglexiſſet ſuo tempore legitimam purgationem, quæ in homine cuius diuturna ſanitas, & non admiſſa ìampri-

Animaduerſio in Medicaſtros qui Botalli Doctrina abutuntur.

Exempla infelicis ſucceſſus ab intempeſtiua ſanguinis miſſione.

dem cathartica saburram in primis viis contentam reliquerant, quæ in cor per iteratas temerè phlebotomias successiuè attracta est, à quâ suffocatio, & tandem mors quam præuiderat Medicus Pentagoni, (sic enim me vocabat Egregius ille Practicus qui vt meæ sententiæ aduersaretur, ita bellè, ægro magno omnium bonorum cum dolore è viuis sublato, consuluerat.) Obstiti in alio ægro, & vocato consilio rationes posui, quibus abstinendum esset istius remedij abusu, *centro* scilicet *impuro existente*, & in *historia Medica* à me conscripta domi, quod ista medendi ratio, non solùm Practicorum omnium veterum & recentiorum experientiæ, verùm etiam rationi, & authoritati principum Medicorum aduersaretur; Reliqua quæ ad remediorum quantitatem pertinent facilè colliges ex citato Rad. 3. Circuli quinti Pentagoni Particularis; qui enim fusè omnia prosequi vellet iustum volumen extrueret.

Authoris constãtia pro ægrorum cura tuta, & felici.

Modus præscribendorũ remediorum in febribus.

Quomodo præscribere conueniat Remedia dicamus. Statuimus Rad. 4. Circuli Pentagoni Partic. nunc citati, *Ægrum, Causam, Partem*, & *Remedium*, indicare modum actionis. *Ægrorum* varietatem cuiuslibet indiuidui contemplationi in Praxi ex iis quæ tradita sunt relinquamus: Et *Remediorum* electionem permittamus ei qui catalogum ibidem legerit omnium *formularium medicarum* in hanc diem inuentarum; dummodo *Causæ* ratio habeatur, & *Partis*. Dicimus enim in febribus quibuslibet cõuenire potiùs remedia *liquida* quàm solida, quia cùm à coagulato accidant succo facilior fit dissolutio per ea, vt clarè loco

Liquida cur in febribus conueniant.

loco citato pag. scil. 94. demonstrauimus. Quamobrem est quòd vtaris ad febrium curationem potiùs *Aquis* stillatitiis, quàm aliis remediorum formulis. In Quartana verò *vina* Oenologiæ nostræ experimentis mirabilibus comprobata in vsum voca: non te decipient. Dicat quispiam: Tu *Puluerem Febrifugum* Arcanum ad omnes intermittentes præscripsisti tantâ famâ in vulgus emissum. Quid tum? Neque enim ego sine liquore, sed *infusum*, aut tandem, sed iam ab infusione dissolutum. Vis infertur naturæ per solida nisi dum Febris multo humore scatet, vt in cachecticis ad hydropem accedentibus, & in pituitosis quotidianâ laborantibus. At hæc raro contingunt; Plurimùm ages per liquida. Si Partem respicias semper vtiles in febribus *Clysteres* inuenies, si modò paraueris ex lenientibus, & temperatè eccoprocticis: Alia nonnisi prudenter admiscenda. Cætera in *Praxi particulari* exequemur si modò perpetuò admonitus sis, vt præ oculis habeas quæ loco proximè citato Pentag. pag. 95. scripta: Sic enim omnem errorem in medendis febribus vitare poteris.

Vina Medicata Authoris.

Obiectioni de Puluere febrifugo Authoris occurrit.

Solida vbi conueniant.

Nunc denique quâ ratione *tempestiua* præscribi possint *remedia* in febribus expendamus. Opto sanè vt qui occasionem illam captare voluerit teneat ad vnguem quæ à nobis scripta sunt vltimo Circuli 5. Pentag. partic. Radio vt ex *ægri viribus*, & *motibus causarum*, quæ in genere deduci debent præcepta non omittat. Præcipua quædam in hanc rem hîc attingemus, quæ adiuncta præindicatæ doctrinæ rem

Tempus offerendorum remediorum.

totam luce meridianâ clariorem efficient. Imprimis enim quemadmodum eo loco diximus oportet *naturæ motus* diſcernere, in criſi & paroxyſmo non purgare, quemadmodum ſuprà docuimus. At dices nos eo loco ex Hippocratis ſententia in *Quartana, cùm acceſſus fiunt* præſcripſiſſe pharmacum in intermittentibus. Hoc nec ipſi negamus: Quinimo id poſſe, & debere fieri conſtanter aſſerimus, & hoc eſſe quod Hippocrates dixit, κατ' αὐτὴν λῆψιν, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ λήψει, citato de Affect. libro. Varia enim tempora diximus habere morbos, & paroxyſmos, qui ſunt morborum maiorum compendia principium, incrementum, vigorem, & declinationẽ. Criſis fit in vigore morbi dum ad declinationẽ tendit, & vigor Paroxyſmi propriè paroxyſmus eſt. Catachreſticωs enim loquuntur, dũ *acceſſum* hâc Græcâ voce per ſynecdochẽ toto ſumpto pro parte ſignificant. Itaque quiſquis purgat ante paroxyſmũ quatuor horis; aut quinque, ita vt euacuatio paulò ante tẽpus frigoris, aut horroris incipiat purgat in acceſſione, aut paroxyſmo *latè* ſumpto, ſed non in vigore, aut paroxyſmo *propriè* dicto iuxta Aphor. 29. lib. 2. quia ineunte quidem commotionis aſtralis vehementiâ, & naturæ pugnâ, ſed non vigente ipſa tunc ſui compos, non conflictu exagitata, imò verò vires morbi vigori ſubtrahis tollendo cauſam priuſquam eò peruenerit vis malefica, vt ſcopum attingere potuerit, id eſt, maſſam humoralem commouere, ad παροξυσμὸν propriè dictum excitandum. Sic rectè factum tibi, ſi ante criſim vna, aut altera die in febribus

Naturæ motus obſeruandus.

Explicatur locus Hippocratis.

Paroxyſmi homonymia explicatur.

febribus plurium dierum, continuis, aut continentibus oppressam naturam subleuaueris, mole humorali subtractâ, vel per purgationem, vel per sanguinis missionem, vel per vrinas, &c. iuxta peruulgatum illud Hippocraticum Theorema, *Quo natura ducit eò tendere oportet*, & illud Pentag. loco proximè citato allatum Αρχομβρίων νέσων, & quæ sequuntur. Nec te moueat imperitorum quorumdam sciolorum turba, qui non aliter ac hæreticæ prauitatis sectatores, qui Sacrarum paginarum authoritate abutuntur ad confirmanda peruersa sua dogmata, ex non intellectis & peruersis Hippocratis decretis, quem vix Latinè loquentem intelligere possunt, sibi fingunt elenchos sophisticos ad ægrorum perniciem, & errorum suorum defensionem, vbi experientia per varios interitus illorum doctrinam profligare nititur. Sic enim dum contra omnem Priscorum practicæ medicinæ Doctorum experientiam, contra ipsius Hippocratis, loco nouissimè indicato authoritatem, & sexcenta Galeni pronuntiata, ipsámque physiologicam ex autopsiâ rationem temerè in qualibet febre, tum continente, cum etiam continuâ, *sanguinem mittentes* expectant, vt aiunt, naturæ salutarem motum, ille plurimùm lethalis est propter illorum imperitiam, vt suprà indicauimus: Et intereunte ægro dum coarguuntur à peritioribus, vt se apud populares excusent obiiciunt *concocta* tantùm *purganda*, continuò obtrudunt illud Magni Hippocratis 1. Aph. 22. Concocta medicari oportet, atque mouere non cruda, omittentes semper illud

Imperitorum argutiæ sophisticæ conuelluntur.

Aphorismus Hippocratis explicatur.

postremum, *nisi materia turgeat*, quo tanquam laqueo suffocatur fastuosum illorum sophisma, licèt non assequantur, aut quid sit concoctio, aut cruditas, ac tandem quid velit Hippocrates. Turgent enim humores, inquit Galenus in commento, dum velut animalia quæ stare loco non possunt à passione concitata; motu vehementiore concitati, atque transfluxu ab vna parte ad aliam *in morbi principio* hominem infestant mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes; Ergo tales humores subiungit ille paulò post euacuare conuenit. Concoctio verò fit in *morbi vigore* vt ex pluribus Hippocratis locis fidus eius, & dignissimus interpres Ioannes Marinellus colligit comment. 3. lit. C. ad hunc Aphorismum: Quo tempore certè non purgandum vt mox scripsimus. Hæc sufficiant ad diruendam improborum hominum infelicissimam methodum, quam ex concoctionis definitione, & cruditatis Fernelij, & aliorum Neotericorum illustriorum harmonicâ pluribus confutauimus, in *Casu* illo proposito *de Febre tertiana duplici*. Si igitur ante crisim, aut paroxysmum immediatè per viam quam natura videtur affectare vacuaueris blandè, rectè facis, naturam iuuas; salutarem iudicationem, & concoctionem promoues, loca fluida facis, quod præscribit Senex Cous, 7. Aph. 67. Sic enim ille doctissimus, & experientissimus Medicus Ioannes Heurnius in hunc Aphorismum qui etiam extat lib. 2. Aph. 9. & illi 10. ex libro Galeni, Quos & quando purgare oporteat. Redditur corpus εὔρoον (reddit ille *meabile*) si præstemus vt

Concoctio quando fiat.

Heurnij Doctrinæ interpretatio ad Aph. Hipp.

vt medicamento attrahenti, & naturæ expellenti cedat, id quod fiet excitatâ naturæ vi, liberatis obſtructis, præparatâ materiâ. Item in fine commenti. Cùm Pharmaciâ graui vtendum eſt (vt in declinatione concoctis humoribus,) quâ triplex regio corporis purgetur, libera reddatur aluus clyſmis, aut lenientibus electuariis, &c. Ipſe Hippocrates ideò rectè ſcribit diſertis verbis 4. Aphor. 10. φαρμακεύειν. i. medicari, medicamento purgante agere, purgare vertit Heurnius ἐν τοῖσι λίην ὀξέσι (valde acutis idem peracutis interpretatur) ἢν ὀργᾷ αὐθημερὸν (eadem ipſa die). χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν. priuſquam ſcilicet addit Galenus in commento robur corporis diſſoluatur, vel febrilis calor augeatur, aut in aliquod membrum principale decumbant ij qui per corpus vagantur humores. Rhabarbaro id agit Doctiſſimus Hollerius (vt commentatur iam citatus Heurnius.) Nos adiungit ille id agimus etiam commodè Electuario de ſucco roſarum in Phrenitide. Quid ad illa imperite Pharmacophobe? In ea tamen ſumus ſententiâ, vt in malignis febribus puncticularibus ſcil. & ſimilibus *abſtineamus à purgantibus*, cùm celeriter percurrant ſua tempora caueamus *à pharmaco purgante*, tum quod natura contrario motu inſurgat in aduerſarium ad circumferentiam ſcilicet, tum quod metus ſit ne in vigorem criticum incidat actio remedij; itē *in externis febribus ſine putredine*, *& purè internis ab inflammatione viſcerũ*, in quibus cautè & ſanguis mittēdus ad reuulſionem, & propinandum remedium, concoctâ materiâ tantùm tunc perfectè, exhiben-

In acutis purgandum.

Cõtra Pharmacophobos.

Concoctionis indicia.

dum. Has concoctiones indicabunt, inquit Marinellus, crassities in vrinis, ſputo, egeſtionibus, pure, ſi enim relinqueres, morbus nouus crearetur iuxta illud 2. Aphor. 12. τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νόσουσι μετὰ κρίσιν ὑποστροφὰς ποιεῖν εἴωθε. *Humorum* motus etiam eſt habenda ratio, de quo diximus Pentag. partic. Circulo 4. Rad. 2. vt etiam illo quem ſuperiùs indicauimus, vbi de Aſtrorum influxu diſſeruimus, habitâ prioris ratione feliciter ſoleo in bilioſis febribus medicamentum è Rheo infuſo hora ſecunda diei propinare, ſic enim hora eiuſdem V. VI. & VII. actionem ſuam exerit dum bilis ſolet moueri; in Melancholicis ferè ſub meridiem præſcripſi, vt nocte vrgeret eccriſes humoris atri; in pituitoſis denique fauſto experimento, quod olim me docuit Medicus excellentiſſimus D. Iſaac Connanus Ordinis noſtri Lugdunenſis ætate veneranda concedente, Decanus Reuerendus; Conſueui inquam tanti Practici exemplo ptiſanæ laxatiuæ ex phlegmagogis compoſitæ Quartarium exhibere ante ſomnum: ſuperdormit æger, & die ſequenti à ſomno validiſſimè educuntur qualia purgari oportet non mole, ſed quantitate æſtimanda. Obſeruaui inquit Ioannes Heurnius in 24. Aph. ſect. 1. interdum quædam excreta mole parua attamen vi magna ægros liberaſſe, nec vnquam me fefellit iſta curandi ratio, ſi præſertim craſſiora excrementa ſtercorea, vel frequenti enemate, vel lenitiuo pharmaco eduxiſſem, iuxta vulgatam methodum; habita verò poſterioris ratione bilioſis, in duas doſes diuidi curaui purgatorium

Tempus propinandorum remediorum ad humorum motum.

Iſaaci Connani laus & praxis.

rium

rium medicamentum, ita tamen vt posterior esset verè cathartica cholagoga eâ die in quam febris incideret ante paroxysmum, vt suprà diximus, Melancholicis in tres, vltima semper verè Melanagoga. Pituitosis autem in multos dies præscripsi, præsertim verò in his *Lunam ad Solis coniunctionem declinantem* elegi, quia tunc temporis vis salis minor, & ignis vitæ qui cum Sole consentit fortior & vegetior ad domandam pituitam, quæ est sal resolutum vt alibi demonstrauimus; potes & alias ex Astrologorum placitis cautelas Rad. vltimo Pentag. particularis allatas obseruare si placet, & *horas planetarias* inæquales in sanguinis missione eligere, ac reliqua quantùm tibi permittet occasio, quam non debes prætermittere agendo medicè, vt expectes Astralem consensum qui ex coadiuuantibus est tantùm de perfecto loquor, & omnibus numeris absoluto verè electiuo; alterius obseruatio non negligitur sine pœnitentia, & occurrit, vbiuis & omni tempore, Medico verè Philosopho qui Hippocrati ἰσόθεος, ideò dictus est. Et hæc dicta sint de vniuersa Noua, certa & Arcana Febrium Doctrina in genere.

Luna consideratio.

Astrorum in curando habenda ratio.

Medicus Philosophus.

FINIS.

Benedictus Deus אלהים *Amen.*

ERRATA.

PAgina 2.linea 5 lege videlicet.pag.5. lin.3. truditur.pag.8. lin.16. ab excalefacto. pag.11. 24. ſunt venæ à porta.p.12.in numero leg. 21.pag.13.lin.22.Poſt vocem Græci,tolle,pag.14.lin.25.poſt voc.pari pone,pag.16.lin.28. leg.quòd à caua. pag.18.lin.1.leg.comprimeretur ſanguis.pag.19. in margine leg.*erga Galenum.* pag.20.lin.11. poſt voc. ideo pone,pag.23. lin. penult. ex agitato.pag.30. lin.8. leg. trudendas reliquas lin.25.poſt voc. αὐτοψίας tolle.pag.31.lin.12. ratio alteri. ibidem lin.14. poſt vocem venam adde emulgentem. pag.33. lin.2. leg. etiam vitrornm.pag.38. in marg.leg. febris ſolutio, ibid.inferiùs leg. calidi per nares.pag.39.lin.28. leg. quâ iniecto.pag.40.lin.21. leg. in aduerſarium.pag.41.lin.3.poſt voc. exhibuiſſe, adde, poſt voc.atteriis tolle,ibid.pag.eadem in marg.leg.*Sudor iudicat.*pag.43. lin.1. leg.vno eodemque.ibid.lineâ 4.hæque rur- pag.60.lin.6.tolle lin.7.leg.volente proſequemur.pag.61.lin.8.leg.de Fract.pag 67.lin.vlt. inde *ſuffocatio.*pag.68.lin.4.Dionyſius Fontanonus lin.24.lege Polyhiſtoris. pag. 69.lin.7.lege Planeta Mercurius. pag.72. lin.13. impeditâ eâ pag.76. lin.5. & *periapton.*pag.77. in marg.leg. Tincarum applicatio. pag.82. lin.27.leg.febres illic.pag.83.adde poſt voc.excepto in hæmorrhoidalibus venis.pag.84.lin.21.tolle hîc.lin.25.leg.febre , laborantis, pag. 88.lin.3. leg. Riuerianum. lin. 16. *octona ter ſacro.* pag.89. lin.14.leg. exempla Terpandri. pag.95.lin.2.leg. quotidie medici.lin. 13. legens obſeruauiſſet.pag.98. lin.11. leg. conſcripta docui,lin.26.leg.*formularum medicarum.*

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Numerus paginam indicat.

A

B

Excre-

generatio

Sordes

FINIS.

In folio ** mendosè lin. 6. legitur Philosophia pro *Philosophico*; & post alteram inferiùs in 1. vers. Medicas pro quo restitue *Medicos*.